*AD*

# REPETITIONEM PRIMAM

*F. Claudij de Sainctes De rebus Eucharistiæ controuersis.*

## THEODORI BEZAE

Responsio.

GENEVÆ

Apud Eustathium Vignon.

M. D. LXXVII.

T H

C

*nem*

*καὶ λ*

*ecqu*

*disci*

*aliis*

*re m*

*lit q*

*re an*

*ipsa*

*mihi*

*rit. S*

*patu*

*Galli*

*ce tu*

# THEODORVS BEZA G.N. IN FORO PARISIENSI CAUSARUM PATRONO, S. P. D.

*MVLTVM debere me tibi profiteor de re nihili, qui magnum illud Claudii nostri volumen tam diu post eius etiam editionem a me expectatum miseris, id est γοητειῶν καὶ λοιδοριῶν ἁμαξας. Auebam enim scire ecquid iste tandem, post tot terra marique discursationes, proferret quod non esset ab aliis dictum & a nostris refutatum, qua in re meam opinionem ne in hoc quidem fefellit quod pleraq; ex malis deteriora fecit. Iure an iniuriâ hoc dicam æquum est vt ex re ipsa æstimetur. Sed vide, quæso, quanta iam mihi dignitas ex istius infectatione accesserit. Scis enim istic non deesse, qui me Episcopatum nescio quem hic gerere, imo etiam in Galliis regnum quoddam affectare, tum voce tum scriptis clamitent. Sed quid si Papa*

iam euaſi? Eſt iſtic moribus iampridem receptũ, vt vni Romano põtifici fas ſit Epiſcopos creare, etſi hanc poteſtatem cum Regibus poſtea Antichriſtus eſt partitus, neſcio an mili. tum exemplo, qui crucifixi Domini veſtes inter ſe diuiſerunt. Quæris quid hoc rei ſit? Dico ingratum iſtum iam, & fratrem (ſiue Monachum) ſimul & Epiſcopum, quem epiſcopatum ait ſeſe heri ſui interceſsione, regũ duorum nominatione, prioratus ſibi in hunc vſum ab eodẽ hero ſuo Cardinali donati cõmutatione, poſt alios multos fruſtra captatos conſequutum, nobis propriè referre acceptũ debuiſſe: ſicut meminiſti factũ ſuperioribus annis, vt Archipoeta ille veſter Abbas crearetur. Negas? imò vt ipſemet teſtatur, quanuis præda iam eſſet ab ipſo irretita: non eſt tamen ad Cardinalium collegium de admittenda regis nominatione prius relatum, quàm de librorum in nos Caluinianos editione, duobus prioribus pro arrabone miſſis, fidem feciſſet. Imò (vt etiã videas, quàm ille ſacer Antichriſtus in noſtri gratiam benignus & liberalis eſſe cõſueuerit) quas aliis ſolet bullas magno pretio addicere, gratuitò eſt iſti largitus. An illa porro adipiſcendi Epiſcopatus ratio ſit veteribus canonibus cõſentanea, & quo pudore à duobus noſtris regibus in ſui ipſius

*ipsius gratiam factum probet quod à S. Ludouico vsque adeo laudat fuisse repudiatum vt etiam pontificis diploma quo nominandorum episcoporum potestas ipsi tribuebatur in ignem coniecerit, ipse viderit, quod sine ipsius detrimento fiat. Illud quidem certè ipsi exprobrari non posse fateor, quòd contra veteres Canones saltu, sicuti loquuntur, non ordine in istam sedem ascenderit, vt qui prius Cardinali suo totos, vt ait, sedecim annos fuerit* ἀκόλουθος. *Sed ne iocari me quisquam in re tam seria putet, & ne cui videar hanc illi offam inuidere, quam per me sanè totã illi fas sit absorbere, quid tibi de hoc videtur,* quod ab ipso Christo dicit Petrũ fuisse causæ suæ quasi iudicẽ ac cognitorẽ cõstitutũ? *annon, quæso, tibi, quũ istud tam nefarium dictum legeres, illud Pauli in mentẽ veniebat,* Aduersarius & efferens supra omne id quod dicitur Deus ac numẽ? *I nũc & istũ perditũ mirare sese à nemine iudicandũ iactare, qui suorũ mãcipiorũ suffragiis sedeat ipsius filij Dei iudex. Miror autem ab isto non etiam illud proferri, quod Christus Petri pedes lauerit. Sic enim quàm optimè suam illam subscriptionem defenderit,* Ad humillima beatissimorum pedum vestrorum oscula Fr. Cl. de Sainctes

Episcopus Ebroicensis. *Atqui ne Euangelizantium quidem pedes Esaias beatos nedum beatissimos, sed pulchros dũtaxat vocauit. Et hæc est scilicet Ecclesia Catholica fides, hæc Petri Cathedra, hæc arca Noe extra quam non est salus. Quid vero? quum istũ videres longum illum Cardinalium catalogum veluti indigitare* quos ad miraculum vsque probos & sanctos vocat, *in quibus nostræ gentis quosdam omnibus notissimos nominat: & quum istud legeres vbi de moribus Romanis agens,* In omnibus, *ait* Romana Ecclesia seipsam præbet bonorum operum exemplum, *risum an lachrymas continuisti? Rectè tamen istud inter multa tam mala, quòd Montanos illos pontificum catamytos præterijt. Deinceps verò illius ad Brunechildem epistolæ Gregorij particulam abiisto citatam legens, quod sit istius adulatoris iudicium, & viuam nostrorum temporum historiam nõ animaduertisti, nisi duas in vnam conflatas experiremur? Sic olim ni mirum Dominus, & inuiti Bileami, & Caiaphæ imprudentis linguam non animũ rexit.* Ανισορησία *ipsius in historia Capeti præ termitto. Nam Monachum scilicet ista βιωτικὰ nefas est curare. Sed quàm est, obsecrò, facetus homo iste quum ex perpetua Gallo-*

*rum*

rum pro Romanis pontificibus ſollicitudine, progreſſum monarchiæ Gallicæ metitur? & quum illū narrantē audis prælių illū vnū & alterum ipſo ſpectatore, & alterius Moſis partes ſcilicet agēte, anno lōgè iucūdiſſimū ſpectaculū cernere tibi videris, monachū vi delicet poſt principia & inter ſarcinas ſecū de fuga potius quā de fide catholica cogitātem, parta demū victoria mortuis, ac præſertim Illuſtriſſimi prīcipis cadaueri inſultātē? Nec enim dubito quin iſtius carnificis inſtigatione factum ſit (quidni enim ſic vocauerim qui carne & ſanguine quotidie paſcatur?) vt contrà quàm iſte commīniſcitur, nō modo non ſit indigniſſimæ illius principis morti illachrymatum, quo nullum ætas hæc noſtra neque pientiorē neque generoſiorem tulit, ſed etiam illi quanuis perfidioſiſſimè contra belli iura, perfoſſo ſclopeti ictu capite trucidato, modis omnibus inſultatum: abiecto etiam in coquinam tanti regij ſanguinis principis cadauere, cuius tanquam mortui leonis barbam pueri vellerent, donec affinis eſt repertus, qui ſicut Nicodemus à Pilato mortuum repoſceret. Et nos ſcilicet propterea peſsimā cauſam tutatos eſſe conſtiterit, ſi modo mentiti ſunt qui Pſalmo 79. his verbis de hoſtium barbarie conqueruntur, Dede-

runt cadauera ſeruorũ tuorũ eſcam volatilibus cœli, & carnẽ eorum quibus benefícus fuiſti, beſtiis agreſtibus. *An iſte verò quum iſta & alia eiuſmodi ſcriberet, obliuiſci potuit controuerſiæ inter Iobum & amicos ipſius agitatæ, in qua Dominus ſecundum Iobum contra ipſius amicos eodem prorſus, ac iſte argumento vtentes, iudicium tulit? Bis ſuperatæ à Beniamitis reliquæ tribus an propterea malam cauſam tuebantur? an nõ iam pridẽ Satan iſtud occinuit,* Hæc omnia tibi dabo ſi proſtratus adoraueris me? *Sed non omnes Chriſti ſpiritu ducuntur quos Satan compellat, quos tamen nunc ſaltem meminiſſe oportuit eſſe ἐχθρῶν ἀδωρα δῶρα, nec eſſe vt Dei, ita etiam Satanæ, munera ἀμεταμέλητα. Quinetiam hoc iſte vt ſingulare quiddam annotat, (ego planè ominoſum dixerim,)* quòd à Carolo quidem rege ſit vltimus; ab Henrico verò primus Epiſcopus nominatus, *ſcilicet (ſicut ipſemet in cauſa ſua dicit, ne quid ad blaſphemiam deeſſet)* vt eſſet ipſe quidam duorum regnorum nexus & lapis angularis. *Egregium ſanè cõmentum, & Monachi blaſphemi cerebro conueniens, qui quoniam fortaſſe papatum iam ſpe deuorauit, iam ſibi non dubitat filij Dei propriam appellationem vendicare.*

Quid-

Quidni enim id faciat Christiuorus Episcopus, ipsummet Christi corpus intra domicilium pectoris sui circungestans vt Christus non modo viuat in eo scilicet, sed etiam quasi ἔγγαστρίμυθος loquatur? Rectè tamē, fateor, & iustè fecit iste, si modo valet vestra Iustitiæ suum cuique tribuentis definitio, quum libros pro istius Eucharistiæ Cyclopicæ defensione scriptos, Antichristo Romano, vnico illius monstri creatori, consecrauit, id est, fumos fumorum venditori rependit. Quo enim nomine potius istorum nugas sanctissimas appellem, qua de re vt plane liqueat age quam putida sit ista σοφιστων videamus.

Sacramentum corporis & sanguinis à quibusuis accedentibus accipitur,

Ergo à qbusuis accipitur corpus ipsū Christi.

Deus nunquam offert Sacramentum absque re Sacramenti,

Ergo nunquam illud absque ista accipitur.

Deus non est mendax,

Ergo quisquis Sacramentum accipit, corpus etiam Christi accipit.

Christus dixit, Hoc est corpus meum,

Ergo panis trāssubstantiatur in corpus, vel consubstantiatur realiter cum corpore.

Ex vnico pane nō possunt edere oēs Chri-

*ſtianipenè innumerabiles.*

*Ergo qui panis dicitur ab Apoſtolo, ex quo omnes edimus, eſt ipſum corpus Chriſti.*

*Deus eſt omnipotens,*

*Ergo nec tranſſubſtantiatio neque Conſubſtantiatio neganda.*

*Victimæ adumbrantes Chriſtum, corporaliter mactabantur & comedebantur,*

*Ergo non ſatis eſt Chriſtum corporaliter immolatum eſſe, ſed etiam corporaliter eſt manducandus.*

*Moſes demonſtrauit ſolũ ſanguinẽ typicũ quum diceret, Hic eſt ſanguis fœderis,*

*Ergo Chriſtus quum diceret, Hic eſt ſanguis meus, ſuum ſanguinem nec aliud quicquam demonſtrauit.*

*Panis & vinum ſunt corpus Chriſti & ore ſumuntur,*

*Ergo corpus & ſanguis Chriſti ore ſumũtur.*

*Fides non ambigit de veritate & potentia verbi diuini,*

*Ergo ſimpliciter credendum panem eſſe ſubſtantialiter corpus Chriſti.*

*Ratio humana & ſenſus falluntur in pleriſque rebus diuinis,*

*Ergo nec ratione nec ſenſibus vtendum in re Sacramentaria.*

*Deus poteſt omnia,*

*Ergo*

*Ergo potest efficere vt panis euadat corpus Christi.*

*Qui Christi participationem vrgent in Cœna Domini, inter se dissident.*

*Ergo falluntur omnes.*

*Maxima pars hominum tuetur τὸ ῥητὸν in verbis institutionis,*

*Ergo vera est hæc sententia.*

*Allegoriis deceptus est Origenes cum multis aliis,*

*Ergo nullus tropus in verbis Cœnæ Domini admittendus.*

*Spiritualis verborum Christi explicatio magnas turbas parit in Ecclesia,*

*Ergo est falsa & impia.*

*Multi viri boni defenderunt τὸ ῥητὸν in verbis Cœnæ,*

*Ergo qui sic sentiunt boni sunt.*

*Multi ex iis qui τὴν διάνοιαν in verbis Cœnæ tuentur, impiè viuunt,*

*Ergo sententia hæc est impia.*

*Sacramentum Cœnæ Domini habet aliquid peculiare,*

*Ergo ad huius Sacramenti naturam explicandam nihil attinet aliorum Sacramentorum collatio.*

*Corpus Christi non est exangue,*

*Ergo sanguinis potus in calice non est neces-*

*Ergo*

*ſarius.*

*Chriſti caro vbicunque eſt, eſt adoranda,*
*Ergo Euchariſtia eſt adoranda.*

*Et iſtæ vbiquitarum portẽtoſæ argumen-*
*tationes cuiuſmodi tandem ſunt?*
*Chriſtus eſt Deus & homo inſeparabiliter*
*& hypoſtaticè,*
*Ergo vbi diuina eſt natura (eſt autem vbi*
*que) ibi quoque eſt humana.*

*Chriſtus ſedet ad dextram patris ſecun-*
*dum naturam humanam,*
*Ergo eſt vbique ſecundũ naturã humanam*

*Aſcendit Chriſtus in cœlum, vt imple-*
*ret omnia,*
*Ergo caro Chriſti eſt vbique.*

*Omnis plenitudo deitatis habitat in*
*Chriſto,*
*Ergo caro Chriſti eſt omni præſens.*

*Nec verò facerem ineptiẽdi finem, ſi hæc*
*perſequi liberet, quæ quũ videamus à mun-*
*do non modò recipi, ſed etiam ſuſcipi, & qui*
*dem tanto cũ ardore vel etiã furore, vt qui*
*uis potius paſſuri plerique videantur, quàm*
*non dico ab iſtis apertiſsimis mendaciis di*
*ceſſuri, ſed paſſuri vt alij oculos aperiãt, qui*
*non animaduertat in ijs impletum quod a*
*Apoſtolus de erroris ſpiritus efficacia, & h*
*minibus* εἰς νοῦν ἀδόκιμον *traditis? Quòd*

*quis roget, cur igitur hac in re operam po-*
*nam, dicam quod res est. Erat hoc iampridē*
*mihi constitutum, istos semel missos facere.*
*Quia tamen ex nonnullis intellexi non dees-*
*se, qui quòd nostra non legerint, per hunc So-*
*phistam in mēdacio confirmētur, apud quos*
*ipse quoque sic sese vēditet, vt sua refelli nō*
*posse tum sibi tum aliis persuadeat: vorandā*
*hanc quoque molestiam mihi credidi, partim*
*ne quis infirmus in errorem ab istis abduca-*
*tur, partim vt si qui ex illis sanabiles sunt,*
*magnita ipsorum fraude veram sententiā se*
*quātur: cuius nostræ qualiscūque opellæ hoc*
*tibi principium habeto, tantisperdum, quod*
*breui, Deo fauente, sum facturus, ad cætera*
*respondeam. Quod ad cæteros desperatæ per*
*uicaciæ homines attinet, habeant sanè sibi si*
*miles labra lactucas, & qui sordescit sordes-*
*cat magis ac magis, donec is in iudicio appa-*
*reat, qui paleam à tritico separatam in hor-*
*reum suum congeret. Bene vale. Geneuæ*
*XIX. Februarij, quo ipso die homines hoc an*
*mo apud vos in porcos sese penè trāssubstan-*
*tiant, quæ istic est pœnitentiæ ad Cyclopicum*
*pascha celebrandum, παρασκευή. Anno tem-*
*poris vltimi* M. D. LXXVII.

# AD REPETITIONEM primam F. Claudij de Sanctes De rebus Eucharistiæ controuersis.

## Theodori Bezæ responsio.

### CAPVT PRIMVM.

MAGNO illi tuo volumini, Santesi, quod tu Repetitiones aptissimè vocasti, quàm optimè fieri à me poterit, respondurus, vti tua quauis non recta sanè methodo cogor, ne fortè si singula tua vestigia nō persequar, dissimulasse nonnulla vel subterfugisse videar. Agimus enim in specie de vnico Eucharistiæ Sacramēto. Sed quū huius cōtrouersiæ decisio magna ex parte posita sit in recta Sacramenti definitionis explicatione, ea si non improbè, at certè imperitè à te prætermissa est, vt & illa quæ cum definitione cohærent. Nihilo rectiùs autem à te proponuntur tres, vt tu inquis, quæstiones, de quibus inter nos agi scribis, quas scholastico more tuis verbis, & secundū à te propositā seriem, sic dispono.

1 *De verborum significatione, quibus Christus*

*Eucharistiam instituit.*

2 *De existētia corporis & sanguinis Domini sub specie panis & vini.*

3 *De eiusdem corporis esu & sanguinis potu, sacramentaliter tantùm debeant spiritualiter duntaxat, vt per fidē solam fiant, an reales & substantiales, vt ipso facto corporis & sanguinis natura recipiatur à nobis, & immissa corpori nos totos alat ad vitam immortalem.*

De his autem perpetuò sic sensisse dicis Ecclesiam per totum orbem diffusam, vt asseruerit

1 *Sensum institutionis, quem litera gignit mordicus esse retinendum.*

2 *Panem & vinum transire in corpus & sanguinem Domini, quæ loco illorum succedant: ac proinde*

3 *Corpus & sanguinem Domini re vera sumi.*

Huic autem veritati repugnare nos omnes, quos in factiones quinque, nempe Lutheranos, Cinglianos, Buceranos, Caluinistas, Brentianos denique, nunc quidem diuidis, in eo conuenientes, quòd singuli in aliquam figuram verbum institutionis Eucharistiæ detorqueamus. Sed Lutheranos, & Buceranos in secundo & tertio capite ita cōsentire vobiscum, vt transsubstantiatio nem tamen negantes doceant præsentiam corporis & sanguinis Domini, nonnisi in vsu & sumptione Sacramenti inesse.

Cinglianos verò, & Caluinianos hoc corpus & hunc sanguinem dicere tam longè remota esse à Sacramento, quàm cœlum à terra, neque aliter percipi, quàm pura fide, neque aliud quicquam ex ipsis ad nos peruenire, quàm gratiam, & nescio quid aliud spirituale.

Caluinianos tamē claudicātes modò ad Luthe-

rano

nos, modò ad Cinglianos propendêre, sed o-
nni detracto fuco nouum modum præsentiæ
xcogitare, vt dicant panem & vinum esse effi-
acia signa corporis & sanguinis Domini: vt nõ
olùm per fidem, sed etiã reipsa corporis Chri-
i substantia cum pane (sed tamen extra panem)
manducetur, & sanguis bibatur à spiritu no-
tro, quoties cum fide panem illum edimus, &
inum illud bibimus, adeò vt etiam indignè
manducantibus offeratur corpus Christi cum
ane, tametsi extra ipsum panem, & quanuis ab
is non manducetur. Itaque verba Domini, *Hoc*
*corpus meum* interpretari, *Hic panis est si-*
*lum efficax corporis mei*, neque interea corpus
sanguinem propius nobis admouere quàm
ælum terræ, sed spiritu. seu potius stultitia (vt
scilicet sapiens loqueris) cælum peti iubere,
bi Christi caro defixa resideat.

Brentianos contrà contẽdere Christi huma-
itatem toto cælo & terra, ac quocunque loco
argi & diffundi, eique æqualem diuinitati o-
nipotentiam & vbiquitatem tribuere.

Quum autem in omni controuersia primùm
nnium sit animaduertendum, quibus de rebus
æratur, accuratè quænam ista tua sint nobis
ruestigandum puto. Dicis tribus de rebus à
bis disceptari. Imò sanè multò plura sunt in
ac ipsa controuersia, de quibus inter nos con-
nditur, sicut inter disputandũ apparebit. Quòd
particulares quæstiones tibi libuit ad præci-
a quædam capita reuocare, debuisse te dico
as potiùs quæstiones ponere, *Sitne corpus*
*Christi nunc in terris situm*: &, *Si situm est in terris*

*num in hoc Sacramento sitũ sit. Et si sitũ est, sitne hoc pane & hoc vino, an verò in illorũ expulsorum ad nihilũ redactorũ locũ succedant.* His enim exp
sitis nullus erit tertiæ tuæ quæstioni locus r
ctus. Quæstio verò prima à te posita nõ ad rer
psam sed ad eius probationẽ pertinet, quò
plurima alia Scripturæ loca spectant, de qu
interpretatione nihilo magis inter nos cõue

Secunda denique quæstio quam ponis,
plicari commodè nisi nostra prima discept
non potest. Itaque videre omnes opinor ne
tium esse mihi cum eo homine, qui veritate
disputando quærere minimè videri possit.
tamen constitui per hæc quoque deuia te pe
qui, & ad illa sic tibi respondeo. Luthera
quos vocas, nunquam tibi concessuros m
cus magis à vobis quàm à se τὸ ῥητὸν retineri
gite igitur, si vobis placet, cum Geminiano
Iurisc. loquuntur. Nam ego quidem quin
que plurimùm in tribus istis à vero aber
non dubito.

Quod Buceranis tribuis, *Sacramenta* es
ipso duntaxat vsu Sacramenta, omnes nos(
hæreticos appellas, ipse potiùs verè artola
vt verè dictum amplectimur.

Quod ad nos quos Caluinianos appellas
net, agnoscimus verè hæc nobis abs te tribu

Humanitatem Christi tam procul nũc ab
à signis quàm cælum à terra, quum illa sit i
lis & nõ alibi, signa verò sint in terris & nõ a

Signa panis & vini esse efficacia symbola
poris & sanguinis Domini.

Præter signa panis & vini, quibuscunqu
cedenti

edentibus offerri quoque corpus & sanguinem Domini, quæ tamen à solis fidelibus percipiantur.

Non tantùm quæ in Christo nobis obtinenda proponuntur, sed imprimis ipsum Christum nobis in hac actione sacra spiritualiter per fidē communicari.

Hæc, inquam, vt verbo Dei & perpetuo Apostolicæ ac orthodoxæ Ecclesiæ consensu confirmata contra Apostaticam Romanam Ecclesiam tuemur, cuius fermēto conspurcata adhuc est Lutheri doctrina non in hoc modò capite, sed etiam in alijs nonnullis. Sed in his te planè sycophantam esse dicimus.

Quòd illam humanitatis Christi in illis æternis Tabernaculis vsque ad vltimum illum diem commorationem transformes conclusionis & affixionis nominibus.

Quòd nos vtrinque propendere falsissimè confingas. Deinde quid istud sit tu videris, *non modo per fidem sed etiam reipsa*. Tuum enim hoc est non nostrum, qui hæc inter se minimè sic comparamus. Nam illud *per fidem* ad instrumentalem causam, *Reipsa* verò ad materiam, siue ad illud ipsum refertur quod fidei instrumento percipitur. At tibi eruditissimo scilicet theologo *per fidem* idem atque *imaginariè* declarat neque quod fit spiritualiter, reipsa fieri videtur.

Illud quoque *ad nos peruenire* ambiguè abs te dicitur, qui nihil nobis admoueri, siue nihil ad nos peruenire putas, nisi si quid corpus nostrū contingat. At nos verè nobis ac reipsa quoque

insinuari dicimus, quod animo etiam solo pe
cipitur, ac verissimam quoque ac realissima
esse credimus nostram cum Christo capite κοι
νίαν, quod ex effectis etiam sensibiliter digne
citur.

Illud autem quod de cælo per fidem & spir
tum in his mysterijs petēdo dicimus, si stultit
est, quid vobis quoque stultius est, qui fursu
corda illos attollere iubetis, quos tamen Chr
sti carnem inter sacrificorum manus quære
docetis,

Postremò Sacramenti vox quum modò sym
bola per se considerata, modò symbola cu
rebus ipsis, modò sacram ipsam totam actio
designet, homonymiam hanc distingui abs re
portuisse dico.

Brentiana deliria: id est, conflatā cum alte
Eutychetismi parte Nestorij blasphemiam, n
quoque detestamur & priores refutauimus.

## AD CAPVT II.

Vnde petenda institutionis Eucha-
ristiæ explicatio.

ONTENDIS in hoc capite peten
esse veram Eucharistiæ explicatione
ex institutionis verbis, quod etia
Christi de coniugio aduersus Phar
sæos disputantis, & Pauli Corinthios hûc r
uocantis exemplo probas: Atqui, mi homo, tu
hîc tibi monstrum confingis quod oppugn
Equis enim nostrûm (Brentianos vnos si

Vbiquitari

Vbiquitarios excipio, qui à nobis exierunt, quia ex nobis non erant) hoc ipſum non ſenſit, ſcripſit, docuit? Itaque non potuiſti certiùs oſtendere quanto nos calumniandi ſtudio exarſeris, quàm quum nos ſcriberes, *omni ſtudio id conari, vt verba inſtitutionis examini humanum ratiocinium eripiamus, pro quibus alia ſubſtituamus etiam nunquam in ſcripturis audita.* Illud autem de quo controuertitur, quoniam tu eodem pudore retices patefaciam oportet. Tu ex vnis inſtitutionis verbis decidendam omnem controuerſiam arbitraris: Nos hæc ipſa inſtitutionis verba quòd variè intelligi poſſint, partim cum noſtræ fidei articulis cohærentibus & indubitatis, partim cum ijs quæ de alijs Sacramentis cõ Verbo Domini traduntur comparari volumus, vt ea demum interpretatio vera cenſeatur, quæ nihil habeat ab iſtis diſſentaneum. Denique valere hic quoque certiſsimam illam diſcernendorum omnium errorum normam obſeruandam dicimus, vt ex locorum Scripturæ collatione controuerſis omnibus quæſtionibus velati lux inferatur. Hoc verò tu hic faciendum negantẽ quis tandem toleret? Affers tamen has tententiæ tuæ rationes.

Vnam, *quòd alia ſit ratio Sacramẽtorum, quàm reliquorum dogmatum, quæ fere ſunt perpetua, hominum naturæ ac rationi inſita, cum alijs articulis fidei coniuncta, ab omnium temporum ſacris Scriptoribus tractata, & quæ poſſint ex ſeſe mutuò illuſtrari. Sacramenta verò certo tempore, loco, certiſque ac conceptis Scripturæ verbis inſtitui, nec tantum deſcribi, ſed etiam quaſi formari.* Itaq; nec poſſe nec

debere ex alijs Scripturę locis, sed ex propriis dūtaxat suis sedibus explicari. Ergo verò multa hīc abs te falsa poni affirmo, ex quibus tamen ne hoc quidem quod tu vis efficiatur: id est, vt in scholis loquimur, nego antecedēs, & ipsam quoque consequutionē. Falsissima hæc duo esse dico, Sacramēta esse noua quædā dogmata & dogmata fidei esse ferè naturæ & rationi hominum insita, Affirmo contrà, idcirco esse instituta Sacramenta, vt sint dogmatum, id est, eorum quæ nobis credenda sunt, σφραγίδες. Nec minus illud abs te ineptè dici, quàm si diplomatibus appendi sigilla diceres, vt aliquid præter id quod in ipso diplomate descriptum est homines docerent. Aio & illud ex ipsis Christi verbis, carnem & sanguinem nobis non patefacere quæ Dei sunt, id est fidei nostræ placita imò τὸ τῆς σαρκὸς φρόνημα esse verum Dei odium, & quæ Dei sunt ne cogitare quidem nos ex nobis posse. Sumamus pro exemplo creationem mundi, quæ sanè videtur ex ipsis naturæ principiis peti posse. Dicit Apostolus & verè dicit fidei opus esse, quòd ea quæ cernimus, ex non apparentibus, id est, ex nihilo esse condita credamus: id quod vel vnicum illud Aristotelis de mundi æternitate dogma confirmat. Sunt scilicet sacræ triadis mysterium, hypostatica deitatis filij, & nostræ naturæ vnio, conceptus ex Spiritu sancto, partus virginis, petenda ex morte vita, resurrectio carnis, naturæ & rationi hominum insita. Sed hoc nimirum fundamentum monstris illis & Chimæris vestris nempe accidentibus sine subjecto, corpori nō quanto, trāssubstantiationi denique

niqu
illur
cipij
dem
quat
dog
co,
desc
mat
culis
bere
rum
ac n
relig
nata
bi la
ta cu
beris
omn
defin
Sacr
fariò
de si
gene
speci
prop
potiu
fic es
re cu
rand
stitut
co m

nique substernere noluisti qua in re pudendum illum errorem admittis, quem petitionem principij in scholis appellant. Sed quid si ne illis quidem concessis illud quod tu contendis consequatur? Sint igitur Sacramenta noui alicuius dogmatis tradendi causa instituta: sint certo loco, tempore, certis denique verbis constituta, descripta, efformata: an propterea efficitur dogmata illa noua, nihil prorsus cum aliis fidei articulis suapte natura cohærens, ac commune habere, ad cuius normam horum quoque nouorum dogmatum explicationem exigi oporteat? ac non potius perpetua est quædam omnium religionis Christianæ partium inter se, sicut in naturali ac minimè monstroso corpore, symmetria, analogia, connexio? Imò vt hoc quoque tibi largiamur, nihil habere coniunctum sacramenta cum alijs fidei articulis: an tu tamen inficiaberis communem ac generalem esse quandam omnium inter se Sacramentorum rationem ac definitionem, in qua proinde conuenire singula Sacramenta, quæcunque tandem illa sint necessariò oporteat? ac proinde falsum esse quicquid de singulari aliquo Sacramento sic dicitur, vt à generali definitione dissentiat? Neque enim vel specierum notiones διαιρετικαὶ, vel individuorũ proprietates notionem συζευκτικὴν tollunt, sed ei potius superstruuntur, nisi fortasse vis hominem sic esse rationis participem, vt in animalis genere cum equo non sentiat. Restat igitur comparandas saltem esse inter se Sacramentorum institutiones vt eo deprehenso quod tum inter se commune tum proprium habent, ad eam nor-

mam postea singulorum explicationes exigantur. Sed hoc nimirum malè vos habet, quòd tum ex generali Sacramentorum definitione, quam studio prætermisisti, tũ ex proprio cuiusque discrimine vestras illas Chimeras vanissimas esse probamus.

Altera tua ratio hæc est, *Res alias sive dogmata sint sive præcepta, magna ex parte præ se ferre quiddam naturale, perpetuum & per se existens: Sacramenta verò importare tantùm quiddam arbitrarium, non perpetuam rationem includens, nec per se existens. Esse enim arbitraria subitanea, & temporaria, sicut circuncisio antequam institueretur, & Baptismus & nostra Eucharistia tempore Abrahæ, nihil fuerunt. Non debere ergo quod ad essentiam suam attinet, ex aliis rebus & dogmatibus & locis scripturæ alienis iudicari: sicut absurdissimum iudicaretur ex creaturarum efficacia & medicina iudicare de luto & sputo, quo Christus illuxit cæci oculos, aut de illa piscinæ aqua.*

Respondeo rursum absurdissimam esse istam concludendi rationem. Quid enim obstat quominus aliquid sit arbitrarium, subitaneum, temporarium, & tamen aliquid commune & planè consentiens cum naturali & perpetuo quopiam habeat? Nec enim ista repugnantiam in ipsam rei naturam necessariò inuehunt. Deinde quantulum tute abes ab ea quam nobis impingis hæresi, si Eucharistiam esse rem per se existentem negas? nisi fortasse ideo per se non existere arbitraris quoniam talis non nascatur, sed vi institutionis aut consecrationis conficiatur, quod si tu sentis, in aliud incommodum rursus incidis.

Cogeri

Cogeris enim aut Euchariſtiam facere ab ipſo corpore Chriſti diuerſam, quod de ſignis tam verè nos dicimus, quàm vos perperam negatis: aut vni corpori Chriſti duo planè diuerſa exiſtẽdi principia tribuere, vnum videlicet in vtero virginis ex Spiritu ſancti virtute, alterum ex certorum verborum pronuntiatione. Deinde ſi tibi concederem quod tu vis, nempe Sacramentorum eſſentiam toto genere à reliquis ſiue placitis, ſiue præceptis Chriſtianæ religionis diſidêre, an tamen propterea inter ſe quoque adeò repugnabunt, vt inter ſe conferri nullo reſpectu poſsint? Quod ſi poſſunt, cur non itidem debent vt inde falſarum explicationum vanitas deprehendatur? Ex alienis verò ſcripturæ locis fieri diiudicationem hanc debere quis tandem noſtrum docuit? Denique quàm bella hæc tua eſt concluſio, Quòd diiudicari Chriſti miracula ex naturæ ordine non debeant, ſtultum etiam eſſe de Sacramentis, vel ex eorum cum alijs fidei articulis ſeu præceptis collatione, vel ex ipſorum mutua inter ſe comparatione ſtatuere?

Tertia verò hæc tua ratio eſt, *Latam eſſe differentiam inter ipſa inſtitutionis verba, quæ Sacramentorũ eſſentiã deſcribunt, & alia extra eam dicta de Sacramentis, quæ vel eò alludunt tantùm vel aliquam eorum circunſtantiam aut abuſum perſtringunt veluti ſi quis de circunciſione vellet non ex eius inſtitutione ſtatuere, ſed ex ſcriptis Pauli quum circunciſionem pro nihilo habet, aut inter ſigna maledictionis cum præputio deputat. Sic hallucinantur* (inquis) *qui de noſtris Sacramentis non ex eorum inſtitutione, ſed ex* 1. *Corinth.* 10. *decidere ſtudent*

*& tum ex veteri testamento corradunt, Agnus est paschæ & similia, tum ex nouo alia congerunt ad opprimenda institutionis verba.*

Assentior tibi perperam facere qui aliena, vel nihil ad rem pertinentia inter se comparant: tale vero quicquam à nostris admissum esse pernegamus, nec tu sanè vnquam ostenderis. Certè quod de Circuncisione profers, quasi ex vnis institutionis verbis quid de ea sit statuendum diiudicare oportuerit, non rectè abs te dicitur, quum ex alijs demum vtriusque fœderis locis quæ fuerit illius analogia & quis vsus multò plenius & vberius, quàm ex ipsa institutione paucissimis verbis per Mosen descripta intelligatur. locum autem illum Apostoli & alios tum veteris tum noui fœderis an ineptè cum ipsis institutionis verbis ad vestra refellenda comparemus, suo loco disceptabitur.

## AB CAPVT III.

Figuratum dicendi genus magis esse proprium Sacramentorum institutioni quàm natiuam vocum significationem.

HOc capite de retinenda verborum institutionis Eucharistię proprietate disserere incipiens contendis quatuor ob causas eam retinendam nullo figurarũ velamẽto inuolutam. At contrà tute capite tertiæ repetitionis tertio agnoscis panem & vinum posse figuras, signa, similitudines vocari propter maximam eorum conuenientiam cum effectis corporis

corporis & naturalis & myſtici. quod ſi verum eſt, certè vel contra id quod ſuperiore capite docuiſti iſtam conuenientiam aliunde quàm ex ipſis inſtitutionis verbis petas neceſſe eſt, in quibus tale nihil commemoratur: vel duplicem vocum corporis & ſanguinis interpretationem admittas oportet itémque verbum Est totidem modis exponas: propriè videlicet quum corpori naturali, figuratè verò ſiue ſignificatiuè quum myſtico tribuetur. Itaque quanta ſit vis veritatis vtinam nunc tandem animaduertas. Deinde ſi quid propriè dici putes, ex te quæſiuero, reſpondebis, opinor, natiuam ſignificationem vocum ſic abs te intelligi, quæ tranſlatitiæ opponatur. At ego dupliciter dici poſſe dico voces propriè vſurpari: vno modo quum natiua ſua ſignificatione accipiuntur: altero quum ipſarum rerum ſubiectarum de quibus agitur peculiaris natura ſpectatur. Sic exempli gratia, ſi de picta ſculptáue imagine loquens dixerim, Hic eſt ille Simſon hoſtium Eccleſiæ domitor certè verbũ Esse aliã ſignificationem induit quàm ſi de ipſo vero Simſone ageretur, vt eſſet propoſitio identica, Vtra igitur in hac enuntiatione propria cenſebitur? non illa certè eſſentialis, quæ tametſi natiua eſt, tamẽ maximè impropriè & falſiſſimè rei pictæ vel ſculptæ tribueretur, ſed iſta quæ aſcititia eſt. Videtur igitur proprietatem vocũ non ex ipſarum natura ſemper, ſed ex rebus ſubiectis, ſiue de quibus agitur æſtimari? adeò quidem vt quæ per ſe vera & propria eſt vocis ſignificatio, falſa & impropria euadat ſi ad rem ipſam ſubiectam referatur: & cõtrà quę ſuapte

natura est falsa & impropria, vera tamen & propria esse incipiat. Ergo inquies, Sacramenta vultis inanes esse imagines? nequaquam id verò. quanuis ne tu quidem, eo quod citaui capite, imaginis & figuræ vocem repudies. Quo enim iure id facias? Sed imagines esse dicimus veritate rerum quas significant minimè vacuas, quoniã id quod intellectui & fidei suggerunt, verè quoque à Deo spirituali modo participãdum offertur. Ergo vt tandem hunc locum concludamus, scito nos quum verbum Est dicimus figuratè, id est, metonymia sacramentali, explicãdum natiuam quidem illius voculæ significationem cum hac translatitia comparare: sed eam tamen quæ rei de qua agitur maximè propria est aduersum vos vrgere, quum is demum proprie de re quaque loqui fit censendus, qui vocibus ad eã rem significandam appositissimis vtitur. Sunt enim voces rerum, non res vocum gratia institutæ. Dico igitur nos quum quæ de Sacramentis dicuntur sacramentaliter intelligẽda docemus, etiamsi id fieri nisi natiua vocabuli alicuius significatione ad translatitiam accommodata non potest tamen maximè propriam significationẽ si rem ipsam spectes tueri: vos autem quum essentialiter intelligenda docetis quæ sacramentaliter dicuntur, maximè impropriam proprietatem ineptissimè, &, quum de religione agatur, pernicioſissimè defendere. Propterea si hæc quę tu dicis (quod postea suo loco faciemus) persequi nunc liberet, cuius tu tandem voculę in institutionis formula proprietatem penitus obseruare comperieris? pronomen enim Hoc modo

ad aliud

ad aliud quàm ad hoc ipsum quod manibus acceptum Christus frangebat & distribuebat, id est, quomodo vel ad individui vagi somniũ vel ad sola accidẽtia, de quibus ne vobis quidem cõstare potest (nisi fortasse rotunda & alba fuisse panis illius fragmenta probaueris) seruata vsitata loquendi forma, transtuleris? Et quo tandem proprietatis genere, vel corpus essentiale Christi pro mystico corpore, vel individuum illud vagum, aut accidentia panis, pro re quapiam ex multis granis, & multis acinis coadunata acceperis? Sed de his aliâs. Nunc causas istius proprietatis retinendæ à te prolatas audiamus. *Si*, inquis, *argumenta de Sacramentis peti oportet ex institutione, necesse est eius rationem certissimam esse & propriam.* Rectius dixisses perspicuam esse oportere. De proprietate antea dixi, esse nimirum sæpenumero ex rei subiectæ, non ex ipsa per se voce diiudicandam. Id enim maximè perspicuè dici quæ rei subiectæ maximè conueniat, siue propria siue translatitia significatione voces ipsæ vsurpentur. *Ergo*, inquis *minimè figuratam esse oportet. Repugnat enim institutionem esse fundamentum veritatis & ipsam figuratam esse, quia in figurata locutione nulla veritas fundari potest.* Distingo figuræ appellationem, quam si accipis pro mere allegorico aut parabolico sermone, quid hoc aliud est quàm nobis illudere? Num enim metonymia sacramentalis, aut alius eiusmodi tropus, allegoria est vel parabola? Quæ tu hîc igitur ex Irenæo & Augustino citas vt allegorica ostendas aliunde illata luce indigere, non contra nos sed contra vestra illa deliria faciunt, quibus

vniuersam scripturam sacram in fabulas verterpre
γραώδεις transformatis. Figuratè verò dicta esse ro n
non posse certa veritatis fundamenta ne in alle enter
gorijs quidem perpetuum esse dico. Quæ tu po atur
stea garris de nostra in explicandis institution ppel
pauculis verbis repugnantia cuiusmodi sint suc x eo
loco expendemus. Sed quod scribere ausus es Deus,
*nolle nos rem Cœnæ ex institutione indagari, adeoq;* ariò
*institutionis verba subsannare, & ea nobis obijci mi* tione
*leste ferre*, falsissimè & impudentissimè à te con ntelli
fingi Deum & homines testamur. Declamita ranſm
postea quum res noua traditur, & in qua nem uam
sine summo periculo possit hallucinari (cuiu nentis
modi est Eucharistia) non esse admittendas im acram
proprias & ambiguas phrases. Concedo, & im è carn
propriũ esse rursum nego quod optimè rei sub fis acc
iectę conuenit. Ambiguum autem si vocas quo hariſt
plures sensus admittit, vide quousque progre pere
diaris. Dogma fidei Christianæ vel præcipuum *m est,*
est, Verbi æterni ἐνσάρκωσις. At illud *Verbum car* *ria re*
*factum est* homonymię in singulis vocibus obno *itution*
xium esse, ideóque ab hæreticis exagitatum *um igi*
ignoras. & à quibus hæreticis? ab ijs qui natiu onced
illarum vocum significationem sectati sunt, con dius a
tra quos ostẽditur Filium Dei similitudine qua s my fi
dam aptissima λόγον non tamen προφορικὸν sed od C
διάθετον vocari: carnis autem appellatione to ceri v
tam humanam naturam σωματικῶς declarat m hæc
factum denique non transmutatione sui ipsius odi sig
sed alterius assumptione dici. Et quàm multa ii: quo
lia possent similia proferri. Res autem sic habe uis t
Etiam si voces per se ambiguæ & diuersam in àm si
terpreta einde

erpretationem admittentes vſurpentur, tamen
ro non ambiguis cenſentur, quoties alterius
entiæ abſurditas ex rei ipſius de qua diſcep-
atur natura non obſcurè dignoſcitur. Sic verbi
ppellatione non ſignificari prolatum ſermonẽ
x eo manifeſtum eſt, quod Filius Dei quum ſit
Deus, & per quem Pater omnia condidit, neceſ-
ariò ſit aliquid ὑφεστὼς. ſynecdoche verò in di-
tione carnis vel ex communi Hebræorum vſu
ntelligitur. Factum eſſe denique accipi pro
ranſmutatione eius naturæ dici non poteſt, in
uam nulla cadat mutatio. Sic quoque in Sacra-
entis ſi ſignum dicatur illud ipſum eſſe cuius
acramentum eſt, miſerabilis eſt ſeruitus ac pla-
è carnalis, literam ſequendo ſigna pro rebus i-
ſis accipere, vt ſcitè ſcribit Auguſtinus de Eu-
hariſtia ipſa differens, ſicut ſigna inutiliter ac-
pere vagantis eſt erroris. *Rethorum*, ais, *præcep-
um eſt, τὰ κοινὰ κοινῶς, τὰ ξενὰ ξενῶς. At Cœnæ hi-
paria rerum antea incognitarum & inſolitarum con-
ſtitutionem & euulgationem complectitur. Neceſſa-
um igitur fuit Chriſtum dilucidè quid vellet effari.*
oncedo hoc quoque, & dico non potuiſſe dilu-
dius aut expreſſius declarari ſacræ illius actio-
is myſticæ naturam & finem. Hoc enim darì
uod Chriſtus ipſe manibus tenens tradebat,
ceri verbis Apoſtolos non oportuit. Sed quor-
m hæc darentur, quarum rerum ſigna & cuiuſ-
odi ſigna eſſent, id verò ipſis declarari opor-
uit: quod multò dilucidius fecit Chriſtus quum
uis tribueret ipſarum rerum appellationes,
àm ſi ſigna illarum eſſe ſimpliciter dixiſſet.
einde etſi noua prorſus fuit hæc noui fœderis

obſignandi ratio tunc primùm à Chriſto inſtit
ta, tamen neque incognitum prius erat nouu
ipſum fœdus, cuius exhibendi cognitione f
modolo imbuti & virtute ſeruati fuerunt q
cunque Chriſti aduentum fideles anteceſſeru
neque etiam ipſum noſtræ cum Chriſto κοινω
myſterium tranſlatitiis vocabulis edendi &
bendi ſignificatum, erat diſcipulis in auditu
vt qui hoc idem dictum & ſpiritualiter expli
tum ex præceptoris ore audierãt in ea concidacra
quæ Ioan.6. perſcripta eſt. Itaque neque obſtitit
puerunt: neque vt Capernaitæ durum hunctiam
monem eſſe dixerunt: neque, vt de ambiguotame
mone dubitarunt, quoniam hæc myſticè & bum
ritualiter intelligenda eſſe antea didicerant vide
cut alicubi Chryſoſtomus obſeruat. Denia dmo
elige vtrũ voles. Si κοινὰ iſta fuiſſe vis, κοινῶν vel an
quutus fuerit Dominus, quum vix aliter deſtanti
cramentis vnquam ſit loquutus Spiritus ſanctus Sa
ſin κοινὰ fuiſſe mauis, κοινῶς ſanè fuerit loqunegas,
ac proinde ineptè facis quum vulgatam & præcip
ſignificationem verborũ in his myſteriis dede qua
dis: Itaque quod in ſanctæ memoriæ virum πάν
Martyrem dixiſti, improbum & impuden ione
fuiſſe Chriſtianarum ſcripturarum depraue ante
rem, quin tibi potius ad amuſſim quadret, obtionis
rum eſſe non poteſt.

la, tute
hoc eſſ
genda
AD CA verbor
quid ac
ſcriptu
dico p

## AD CAPVT IIII.

Ex circunſtantijs inſtitutionis Cœnæ Domini non rectè colligi τὸ μυστικὸν retinendum.

INCIPIS tuam iſtam impropriá proprietatem tueri argumentis à circunſtantiis Cœnæ dominicæ deſumptis. Et quoniam quæ de Sacramẽtis dicuntur ſacramentaliter intelligenda dicimus, negas ex inſtitutionis verbis eruipoſſe hanc circunſtantiam quòd Euchariſtia ſit Sacramentum (quod quotamen verum eſſe concedis) quum nullum verbum de Sacramento faciat. In his verò paucis tam vide quàm multipliciter pecces. primùm enim quemadmodum inepte facis, quum hoc quo res ipſa vel an ſit, vel quid ſit conſtituitur inter circunſtantias numeras. Deinde quum Euchariſtiam eſſe Sacramentum colligi ex inſtitutione poſſe quinegas, certè & illud fateris, id quod primariũ & præcipuum eſt in hac controuerſia (rei videlicet de qua quæritur naturam & definitionem, quæ τὸ τί ἐστι vocatur) aliunde quàm ex ipſa inſtitutione petendum. Itaque fundamẽtum illud abrasse antea poſitum, quòd videlicet ex vnis inſtitutionis verbis hæc omnis cõtrouerſia ſit decidẽla, tutemet euertis. Præterea quum Sacramentũ hoc eſſe non neges, & pro natura rerum intelligenda ſint quæ de rebus dicuntur (nec enim res verborum, ſed verba rerum cauſa ſunt inuenta) quid ad nos attinet tantopere quærere quo ex ſcripturæ loco id eruatur? poſtremò & illud dico planè cæcum eſſe oportere qui ex illa

tota Christi actione non videat mysterium siu
Sacramentum institui, quum regnũ Dei, remi que
sio peccatorum, fœdus denique illud nouum, H o
cut à Ieremia describitur, propriè loquendo, S V E
esu & potu situm esse non possit. Reponis post & p
nobis rancidam illam & millies recoctam cra T I A
bem, summum videlicet Euangelistarum & S V I
postoli in describenda Eucharistia consensu C E
quum alioqui soleant Euangelistæ mutuas op tus
ras tradere, & quod ab alio obscurius & figura ic sc
est traditum, id alius magis propriè & pleni è, se
enarret. Atqui perpetuum hoc esse nego, nec unt:
vnquam probaueris. Dico præterea Euãgelistam a
& Apostolum neque totidem neque ijsdem verbis vsos, quod ex ipsorum locorum collatio abor
liquet. Affirmo & hoc tertium, Euangelistas iam
Paulũ mutuas hîc sibi operas tradidisse. Ver natur
enim εὐλογεῖν verbo ἐυχαριστεῖν & τὸ διδόμενον vertur
bo κλώμενον, & τοῦτο sine adiectione positum Christ
iectione vocis ποτήριον: & illud *Nouum testamentum in sanguine meo* per illa, sanguis meus No arnen
testamenti explicatur. Et additur tum à Lu *sacrificetum* ab Apostolo mandatũ, à Mattheo & Mar *as sign*
prætermissum. Tu verò quid velles præterea bi cre
eorum aliquo expressum vt nostra sententia *retam*
leret? nempe vt pro E S T scriberet S I G N I F mò q
C A T, vel H O C E S T C O R P V S M E artio
S A C R A M E N T A L I T E R siue I N M I S T itatis e
R I O, siue F I D E P E R C I P I E N D V M, stum pr
S I G N V M aut S A C R A M E N T V M C O R P rustulo
R I S M E I. Quid si verè nos vicissim excipe llum in
mus, vt vestræ illi quamuis inuisibili, tamen in non
rè Cyclopicæ, manducationi locus aliquis re nius vi
queren uali lo

fiu
emiqueretur, oportuisse aliquem Euangelistarũ pro
m, HOC scribere ISTA ACCIDENTIA SINE
lo, SVBIECTO. vel ECCE CORPVS MEVM,
ost & pro EST scribere TRANSSVBSTAN-
ran TIATVR, & CORPVS SIMVL ET SAN-
& GVIS, & pro OMNES scribere VOS SA-
sur CERDOTES? quid igitur? nempe neque Chri-
s op tus sic loquutus, neque Euangelistæ & Apostoli
ura sic scribentes, obscurè, aut ambiguè aut inusita-
eni è, sed sacramentaliter de Sacramento loquuti
ec sunt: neque causa vlla iusta fuit cur de vestris illis
elis tam absurdis tam monstrosis, tam denique à Sa-
n v cramentorum fine alienis figmentis deuitandis
tio laborarent, quæ iure existimarunt nõ magis cui-
sta piam Christiano in mentem venire posse, quàm
Ver naturalem petram fuisse Christum, quoniam di-
v citur petra fuisse Christus, aut agnum reipsa
m Christus esse quoniam à Ioanne Baptista sic ap-
tam pellatur. Ista denique quæ tandẽ calumnina est,
s No *carnem, sanguinem, substantiam, edere, bibere, altare,*
à Lu *sacrificium, sacerdotium à nobis in ignotas & transla-*
Mat *tas significationes trahi?* Quid amplius? etiam, si
rea ibi creditur, *spiritum in Baptismo pro aqua inter-*
tia *vetamur, & Patrem quoque & Filium negamus.*
N IP mò quis carnem & sanguinem in spectrũ cum
M E vlartione transformat, nisi qui inuisibile & quã-
S T itatis expers corpus Christo tribuit? Quis Chri-
1, stum priuat vera carnis substantia, nisi qui panis
R P rustulo, imò etiam accidentibus sine subiecto
cipe llum includit? Edendi autem & bibẽdi vocibus
nen n non vos quoque nobiscum vtimini, quum de
is re nius virtutis Christi participatione merè spiri-
eret uali loquimini? altare quidem fateor nullum in

Christiana Ecclesia, nec sacrificium nec sacerdotium ad Christum rursus pro peccatis reip Patri offerendum relinquimus, quæ nõ sine manifesta impietate ponitis. Spiritum pro aqua Baptismo à nobis exponi falsissimum est, quu è contrario, Aquæ interdum vt & Ignis nomen pro Spiritu, ad eius in nobis effecta ngnificanponi dicamus. Neque tu id potes iure inficiaquum sic passim loqui Prophetas & Apostolos plúmque Christum nõ ignores. Filii veram hpostasin à Patre esse tãtùm abest vt inficiemvt contrà, stertentibus vobis, & teterrimos illSeruetum Gentilem, & Postellum in sinu fouetibus, hanc veritatem aduersus renatos Samatenianos & Arrianos primi defenderimus. Qu si Filii essentiam (quam tu perperam cum hstantia hîc confundis) vis ab altera Patris esse tia propagatam, quam nos vnicam esse in Fi & Patre tuemur, quanuis in Patre vt à nullo, Filio vt à Patre per generationẽ communica spectetur, iam te Ditheitam factum affirmo. que id sanè mirũ ab eo fieri qui tot nobis Chsti corpora realia & essentialia fabricetur.

Istuc
hoc
cis, i
tur i
mis,
Iuisse
quoc
ri ac
aute
posse
tens,
posit
com
pote
testa
fenti
catio
uina
la co
mana
admi
dei &
go ad
ctũ a
acced
tamen
tendit

## AD CAPVT V.

Ex circunstantia Christi ipsius Cœnã instituentis colligi posse simpliciter τὸ ἐστιν in verbis institutionis retinen

*Re*
*rem al*
*Eucha*
*comm*
*adfue*
*lucrdi*

AM accedis ad circunstantias persoipsius Christi & sic argumentaris, *Cstus est omnipotens nec mentior: potest: Epotest efficere quod in Eucharistia testat*

Il

Istud verò quis vnquam nostrûm negauit? Sed hoc efficere vel potuisse vel voluisse quod tu dicis, id demum tibi probandum est. Rursum igitur id ipsum de quo ambigitur vt probatum assumis, quod est impudentis Sophistæ factum. Noluisse autem illum ac ne velle quidem potuisse quod dicitis, ex eo ipso colligimus quòd mentiri ac proinde cõtradicentia velle nõ possit: quod autem velle se testatus est idcirco efficere illum posse credimus, quoniam fit & verax & omnipotens, nempe vt verè ac reipsa sese nobis in terra positis quanuis in cælis manẽs, ad vitam æternã communicet, quod esse verè admirabile omnipotentiæ diuinæ mysterium Apostolus meritò testatur. Ad illam autem vestram naturalẽ præsentis & intra manus positæ substantiæ manducationem quæ tandem, quæso, omnipotentia diuina requiritur? Non igitur simpliciter vestra illa commenta inficiamur quod cogitationi humanæ sint absurda, sed quia præter quàm quòd admitti humana ratione non possunt, placitis fidei & Filij Dei veritati repugnant. Quorsum ergo aduersum nos detorseris illud Tertulliani dictũ aduersus Marcionitas, ad quos ipsi proximè accedetis, quum corpus suapte natura quantum tamen pro modo non quanti reipsa adesse contenditis?

*Restat*, inquis, *vt videamus an Christus singularem aliquam causam habuerit cur in promulganda Eucharistia obscurius & incertius loqueretur quàm communiter soleret. Tantùm abest vt habuerit, vt ei adfuerint causæ grauissimæ cur planius, certius & dilucidius quàm soleret de alijs rebus, de Eucharistia*

*pronuntiaret : nempe graue & periculosum dogm*
*præceptum & articulũ noui fœderis.* Atqui tute h
rursum tibi monstrum comminisceris quod nu
quam est:&rursum principium petis. Vis eni
tibi concessum omnes translatas loquution
esse natiuis obscuriores, quum translationes s
pe non minus pateant quàm propriæ signific
tiones,& venustiores ac expressiores meritò h
beantur. Deinde, quod coactus aliquoties rep
to,proprietatem non ex rerum subiectarum n
tura, sed ex ipsis vocibus perperam metiris:
nullam incidere potuisse grauiorem causa
particularem cur à communi significatione d
cederetur affirmo, quàm quod nõ de re comm
ni,sed de Sacramẽto ageretur. Denique rursu
pernego vllum dogma nouum fuisse in Euch
ristia traditum, aut vllum fœdus institutum,s
fidei Christianæ & noui fœderis σφραγίδα const
tutam : nec te minus ineptè ista scripsisse, quà
si diceres nouum aliquod testamentum fieri,qu
de sigillo ei apponendo statuitur aut ipso app
sito sigillo obsignatur.

*Postulas etiam tibi produci exemplum alicui*
*fœderis vel Sacramenti à Deo vel Christo eius in*
*perati vt credendi & cum salutis periculo agendi,*
*tiam in vetere testamento figuris obnoxio, quod al*
*ter sonet quàm ad verbum sit intelligendum, aut*
*vestigio non sit explicatum.*

Astutè tu quidem credendi & agendi voc
adiecisti vt tibi caueres. Sed quid si tu sic quo
que mihi aditum ad te refellendum aperuist
Ritus igitur in ipsis obeundis mysteriis seruan
dus, sicut externus est per se & à communi nihi

differen

diffe
cetu
se, c
& pr
ctio
nim
cipe
bibe
men
men
ta sin
tiam
prop
vel p
exte
sit ip
deris
*sit di*
*guini*
per s
citra
in re
tur p
quid
rum
totie
est,C
sangu
ta qu
tueri
fœdu
ad id
quod

differens, ita etiam communibus vocibus explicetur oportet. Sic nudis verbis Circũcisio, Phase, cæremonialis vniuersus cultus declarantur & præscribuntur. Sic quoque Baptismus & actio Cœnę Domini describuntur. Communia enim sunt aqua mergere vel aspergere, panem accipere, frangere, comedere, & vinum infusum bibere. Sed quod in illis ritibus credendum ipsi menti & fidei offertur, siue quæ sit res Sacramentorum, & in quem finem præcipuè instituta sint, idv erò sicut in figura proponitur, ita etiam vix aliter quàm figurato dicendi genere proponitur, nempe ne signa vel inania putentur, vel pro rebus ipsis accipiantur. Sic Circuncisio externa fœdus vocatur, quum tamẽ propriè nõ sit ipsum fœdus, sed (vt eodem loco dicitur) fœderis signũ sit. Ergo, inquis, *ostendite vbi similiter sit dictum panẽ & vinum esse signa corporis & sanguinis*. Quasi verò hęc lex sit perpetua vt si quod per se satis intelligitur semel tamen est quanuis citra necessitatem explicatum, semper quoque in re simili declaretur. In sacrificijs quoties additur promissio expiationis peccatorum, id est nõ quid agatur exterius, sed finis & vsus sacrificiorum declaratio, siue quid fuerit in iis credendũ toties signo tribuitur quod est rei significatæ, id est, Christi, qui vnus tollit peccata mundi, quum sanguis hircorum & taurorum ne vt Sacramenta quidem emundare conscientiam vnquam potuerint. Quid? quum τὸ ποτήριον dicitur nouum fœdus in sanguine (quod quidem non spectat ad id quod foris agitur, sed ad id quod per id quod agitur credendũ proponitur) vt in omnes

partes te conuertas nunquam tamen cuiquam homini non insano persuaseris natiua vocum significatione seruata id esse exponendũ. Et ne ab ipsis à te propositis exẽplis discedamus, in hac ipsa formula, *Renasce ex aqua & spiritu* nisi Metaphorã multiplicem agnoscis, reuoco te ad introitũ Missę Dominicæ quam Quasimodo vocatis. Num tu verò arborem vitæ aut scientiæ boni & mali putas aliter quàm sacramentaliter Metonymi appellatam? nisi fortasse vis à succo ipsius arboris, vel immortalitatis donum, vel boni & mali scientiam pependisse. Sed de istis suo loco. nec enim ignoro tam verè nihil posse dici quin à sophistis in speciem falsi adulteretur.

*An non*, inquis, *offendiculum eadem de apud Capernaitas exortũ Christum admonuisset, sermonem temperaret si aliter res haberet quam pronuntiaret?*

Imò quod Capernaitas alloquens satis supérque explicarat, cur obsecro Cœnam instituens rursum ageret? Quanuis enim illic de verbo nudo dicatur quod in Cœnæ institutione de pane & vino dicitur, tamen hactenus hæc duo conueniunt, quòd & verba & corporea elementa mysteriorũ signa sint, illa quidem aurium, hæc verò oculorum quoque sensui obiecta.

Comminiscéris postea Christum à Paulo de Corinthiorũ dissidijs interrogatũ, fuisse illi expositurũ si qua laterent sacramẽtalia ænigmata in Eucharistiæ Sacramento. Et vnde quæso mysteriũ Cœnæ dices Apostolũ ex aliqua speciali reuelatione didicisse? quoniã nimirũ hæc dicit se à Domino accepisse, quod etsi non tibi primùm

mùm aut soli in mentẽ venit, tamen parùm probabiliter dicitur. Quorsum enim hoc ex Christi peculiari reuelatione percontaretur Apostolus, quod saltẽ ex Luca suo comite perinde atq; ex ipsius Christi ore cognoscere potuit? Quod si etiam dicamus peculiari reuelatione id illi fuisse patefactũ, at certè stultè abs te dicitur tũ ci patefactũ fuisse quũ de dissidiis Corinthiorũ intellexisset. Nec enim id ait se illis tradere, sed antea tradidisse, quod antea nimirũ à Domino siue reuelatione peculiari, siue (quod multò probabilius est) ex discipulorum ipsius ore aut scriptis cognouerat. Sed hoc mittamus. Quantò rectius dixerim si vestras illas monstrosissimas & fidei articulis ex diametro repugnantes chimeras stabilire illis institutionis verbis Dominus voluisset, hoc fuisse Apostolo suo expositurũ: idcirco verò nullã addidisse explicationem, quod sacramentaliter interpretanda esse, quæ de Sacramẽtis dicuntur, omnes non prorsus insani per se intelligant?

Vis etiã considerari à nobis ipsam nocturni tẽporis circunstantiã, admirabilis sanè Theologus, qui tuos aliter nocte quàm luce loqui velis. *Quia* (inquis) *voluit ea nocte Dominus lucẽ inferre figurarum tenebris idcirco nihil fuit figuratè loquutus.* Et quid est in re tã seria Ecclesiæ Dei illudere si hoc nõ est? *Sed*, inquis, *fatentur Apostoli Christum in ea nocte palã effari, & nullũ prouerbiũ quod nõ declararet loqui.* Imò hoc dicũt discipuli nõ de tota, sed de extrema dũtaxat illa cõcione quę tota penè figurata est, & tunc ab Apostolis videtur parũ intellecta. *At*, inquis, *quũ Apostoli nõ sinerẽt*

*vel minima elabi quæ nõ interrogarent si viderentur obscuriora, nemo hîc eum in re tanti momenti in verbis à literali sensu remotis percõtatur quicquã: nempe (vt dicunt Chrysostomus & Cyrillus) ideo nec obstupuerunt nec obmurmurarunt Apostoli ad tantum prodigium, quoniam antea corripi viderant qui ad eius promissionem obstupuissent: & rem prius sibi confirmatam meminerant quæ tum exhibebatur.* Imò certè ad tam prodigiosum commentum, quo & carnis Christi veritas destruitur, & spiritualia in corporalia transformantur, & pro fide quæ est regeneratæ mentis actio, corporalis manducatio statuitur, & Christiani in Cyclopas transmutantur toti cohorruissent Apostoli. neque idcirco tantùm nihil interrogarunt quòd per incredulitatem obstupefactos & obmurmurantes audissent reprehendi, sed quia ex reprehensione spirituale hoc esse mysterium, nec ventris sed mentis cibum hunc esse cognouerant & crediderant. Credentibus enim hoc dictum fuisse disertè dicit Cyrillus eo ipso loco quem citas. At cur credentibus, nisi quòd quid illud esset antea fuerant edocti? Fides enim est ex auditu. Immeritò igitur quæris *vnde potuerint nec prius admoniti Sacramentum institui, nec tum ita subtiles Apostoli, suspicari sacramentalem esse loquutionem.* Nã & prius rem ipsam fuerant edocti, quid illis esset daturus Christus & Capernaitarum exemplo fuerant admoniti, ne Cyclopicam σαρκοφαγίαν animo conciperent: & Sacramentum institui res illæ ipsæ quas illis præbebat Christus ostendebant. Et ne quid hîc à me confingi clamites, ecce tibi hæc quoque Chrysostomi verba ex eadẽ

illa quam citas homilia octogesimaquinta quæ tu astutè præteriisti.

*Quomodo turbati non fuerunt, quum hoc audissent? quoniam multa iam & magna de hoc antea disseruerat.*

Sed & illud omnino expendendũ est quod ex eodem Chrysostomo attingis, *priorem videlicet Christum ad suos confirmandos corpus suum delibasse & cepisse se quod alys porrigeret, ne præ horrore insum Domini de manducanda carne detrectarent.* Quod igitur hic vnus ex patribus fortasse primus dixit, quæri potest an probabiliter dicatur. Nec enim in institutione Cœnæ tale quicquam exprimitur. Ex eodem tamen pane comedisse & ex eodem vino Christum bibisse ambigi non potest: neque magnopere laboro post an ante consecrationem hoc fecerit. Sed illud certum est si Sacramentum hoc Christus ipse sumpsit, non propter se sed propter alios sumpsisse: Quid igitur? Certè si (vt vult Chrysostomus) ille sumpsit Sacramentum, & transubstantiationi locus est, ille seipsum realiter & substantialiter ore ipso comederit. Cautius loquitur Augustinus quum dicit Christum QVODAMMODO seipsum suis manibus gestasse, vt mysterium à re naturali distingueret. Quod si ille verè, reipsa substantialiter, corporaliter ore suo sine vllo tropo vel figura comedit seipsum primus, non oportuerit, quæso, maiorem hoc horrorem incutere discipulis, quàm si aliis duntaxat se vorandum & bibendum præbuisset? Neque his obstat quòd inuisibiliter id factũ comminiscimini. Manet enim ipsum factum, realis inquam παρκοφαγία, quæ si inuisibilis erat, in alte-

rum etiam magis absurdum prodigium erat discipulos abductura, eò videlicet vt spectrum se videre & audire multò magis existimaren quàm quum illum antea super mare ambulantem, & post mortem secum præsentem adesse & loqui cernerent. Seipsum enim quempiam ore vorare, & tamen eodem modo integrum ac solidum & illæsum alijs itidem comedendum præbere multò magis veritati carnis repugnat quàm super mare ambulare, aut post mortem repentè clausis ianuis apparere. Et tamen Apostolos ne ad figuratas quidē loquutiones absque interprete intelligendas exercitatos fuisse vis. Quantò verò minus hæc falsissima & toti doctrinæ quam ex Christo audierant repugnantia commenta sine vlla discretatione mente comprehensuros fuisse existimabimus?

*Cur*, inquis, *Christus contra omnium gentium morem minus puro & syncero sermone quàm solebat: Apostolis mentem suam exprompserit?*

At ego hunc omnium gentium ipsiúsque adeò Spiritus sancti perpetuum morem fuisse & esse dico vt ad signorum vim ostendendam rerum significatarum nomina eis attribuantur quod autem de minus puro & syncero sermone Christi scribis, putidam esse calumniam quæ vni tibi in mentem venit.

Quæris postea, *anijs verbis caruerit quibus nunc vtimur, vt intelligentiam aliam quam verba sonant substituamus.*

Respondemus Christum non potuisse signi-

ficantiu

ficantius aut expreſsius de Sacramentis loqui.

*An voluit*, inquis, *ſerere hæreſes per ambiguam teſtamenti interpretationem?*

Nequaquam: planiſsima enim eſt & Sacramentis accommodatiſsima, & vſitatiſsima formula qua Chriſtus vſus eſt: nec minus monſtroſa ſunt veſtra quàm Anthropomorphitarum commenta: Netcio certè an reliquis tuis vaniſsimis clamoribus ſit aliquid à me reponendum.

*Cur nos*, ais, *dubitemus credere quod Chriſtus non dubitauit aſſerere?*

Imò, mi homo, cui perſuadebis contradictoria Chriſtum dixiſſe? credendum autem quod Chriſtus docuit quinam fortius affirmant quàm qui nihil niſi quod Chriſtus nos docuit, credendum in ſalutis negotio dicunt?

*Qui verbum eſt* (ais) *ve borum ſignificationes ignorauit.* Bella ſcilicet alluſio, quanuis eam aliunde deſumpſeris. *Qui veritas eſt, vera loqui neſciuit?* minimè, ideóq; veſtras chimeras monſtroſiſsimas repudiamus.

*Qui tot modis idololatriam vetuit, an factus caro vt nos ab idololatria liberaret, moriturus nobis idololatriæ occaſionem maximam præbuerit, quum paucis verbis mutatis nos ab ea liberare potuerit?*

Nequaquam profectò, ideóque veſtrum cruſtaceum Deum vt idolorum omnium quæ vnquam extiterunt maximè execrabile toto pectore oréque ipſo deteſtamur: & vos in beſtias penè triſformatos credimus, qui Deũ ipſum id eſſe credatis quo veſcamini. Id autẽ etſi venturũ præſciuit Dominus quẽ nihil latet, noluit tamẽ propterea de Sacramẽtis aliter quàm vſus ipſorũ

& natura ferat, id est, non sacramentaliter loqui. Hæc sunt igitur in quibus clamitas à nobis aduersus Christi diuinitatem peccari, quasi quia de recta & cum articulis fidei consentiente verborũ institutionis explicatione quærimus propterea ipsius sermonem in controuersiam & dubitationem adducamus.

Denique placuit etiam tibi nos triplicis in Christum *vt hominem & virum bonum* (sic enim loqueris) admissi peccati arguere: quorum illud primùm est *Illi inusta à nobis nota quòd contra bonorum patrumfamilias prudentiã Testamentũ non simplicioribus verbis cõdiderit, quũ bonus ille Jacob, quanuis figuras, pro statu prophetiæ, testamento admiscuerit, tamẽ de re, de qua in testamẽto vaticinabatur dilucidè dixerit, & clarius quàm vnquam antea sermonem habuerit.* Atqui, bone vir, in vno istis quod in nos hîc dicis tripliciter peccasti. Neque enim Eucharistia est ipsum testamentum Domini, sed eius σφραγὶς, vt antea quoque dixi: sicut Circuncisio nõnisi figuratè vocatur fœdus, propriè verò est fœderis signum, vt ipsemet Deus interpretatur: nisi forte eousque odio nostri abriperis, vt sigillum testamento appositum velis esse ipsas testamenti tabulas aut ipsum testamẽtum tabulis perscriptum. Neque dubito quin hîc sis mihi obiecturus illud *Nouum testamentũ in sanguine meo*, cui vicissim regeram illud, *sanguis meus noui testamenti*, de quibus nos suo loco, ne, tuo more, vel quęstiones permisceam⁹, quod facere tamen nos tua ἀπαιδευσία cogit, vel principium petere videamur. Deinde tantùm abest vt ex eo quod tuemur, efficiatur Christum obscurius

curius loquutum esse, vt contrà nisi nobiscum sentias, absurdissima &, quoniam sibi contradicentia, ideo falsissima ipsum enuntiasse oportuerit, vt tu ipse longè maioris sceleris reus meritò deprehẽdaris, quam illud sit quod falsò nobis impingis. Denique quis tuus hic pudor est? deligis pro testamenti vllo figurato dicendi genere carentis exemplo illud Iacobi testamentũ, in quo penè vno plura, quàm in reliquis totis historicis libris omnium troporũ & figurarum exempla deprehenduntur, adeò vt in eo explicando nunc quoque noui interpretes linguarum cognitione instructiores quàm illi ex veteribus Græcis aut Latinis, desudent. Et ne longius abeamus, illas ipsas voces in quibus planius quàm vnquam loquutum illum, temerè profectò scribis, nempe illud, opinor, *Non auferetur sceptrũ ex Iuda*, &c. libenter ex te velim intelligere quomodo interpretari tam planè possis, vt quicunque in eo loco explicando laborarunt stolidi, quasi nodum in scirpo quæsiuisse videantur.

Alterum nostrum peccatum esse vis, *quòd ius illud testamentarium inuiolabile corrumpamus, & quidem non cuiusuis sed Filij Dei, cuius testamenti ipsas etiam singulares voces expendere iubeat Apostolus, admonens scriptum esse semini eius non seminibus*: quod nostrum horrendum scelus miris postea modis exaggeras. Et certè si quid tale vel cogitare ausi essemus, nulla nostro sceleri pœna par reperiretur. Sed dic, quæso, qui in testamenti scripto ne literulam quidem immutat, sed de verborum quibus testator vsus est, sententia

contendit, idque totum & ex præcedentibus, quota
ex consequentibus, & ex clarissimis alijs ipsi tris a
voluntatis testimonijs, adeóque ex ipsa reru ifest
de quibus agitur natura, postulat vt diiudicet em i
num meritò istorum scelerum accusabitur: an enun
potius qui accusationem talem instituerit, nihil
manifesta calumnia deprehendetur? Dicam a asma
tem etiam aliquid amplius. Testamentum ill & fa
in quo iubet illam vocem Apostolus obseru ascit
itáne fuit planè & perspicuè conceptum & io r
plicatum? Quęre hoc saltem ex Hieronymo quini
locũ illum sic exagitat, vt Paulũ etiam videa nqui
nolle ab omni sophistices culpa vindicare: *qui ta*
tamẽ cur in hoc vt in multis alijs nõ assentia *nos &*
libi vbi oportuit nõ dissimulaui. Quid si etiã *quotic*
geram nos in institutionis Eucharistiæ vera *ac fid*
plicatione quærẽda sequi Apostoli vestigia? *culcat*
ille quid seminis appellatione intelligatur, in vt suc
verbis, *Ero tibi Deus, & semini tuo* eruit ex alte ci, in
loco, *Et in semine tuo benedicentur omnes gent* nisi p
quod inficiari non potes. Quã igitur in re pec aliud
mus, si huius quoq; institutionis verborũ sen mẽtis
tiam ex cohærentibus eiusdem authoris spiri go. C
sancti scriptorum locis petendã docemus? A cade
igitur nos absolue: aut quod aliter faciam cacia
quàm Paulus ostende: aut nobiscũ quoque Pa ciabe
lum coargue, vt ab omnibus pijs coarguaris. tismo

*Tertium denique longè maximũ nostrum est* p lis es
*catum* (inquis) *quòd sentiamus nihil noui Eccl* vt in
*legatum à Christo & eius testamento nobis derel* Iustif
*quàm panis aridi frustulum, & vini pauxillum* putic
*sui memoriam.* ti⁹ fu

Imò verò vos ij estis qui panem verè aridu neliu
quotanni

ibus, uotannis, & quidem tantùm semel, laicis ve-
ipsi tris administratis, erepto ipsis calice: in eo ma-
reru ifesti præligiatores, quòd illis persuasistis pa-
licet em id non esse quod omnes sensus panem esse
ur: an enuntiãt, vt eius loco inuisibilem carnem quæ
erit, nihil sit minus quàm caro, id est Marcionis phã-
am a asma statueretis: & quotidie vestram miseram
n ill & famelicam plebeculam inani solo spectaculo
seru asscitis. At eos qua tandẽ ratione ista crimina-
& c io reos tenebit qui veri illius corporis & san-
no q guinis κοινωνίαν in Cœna sanciri profitẽtur? *Sed,*
dea nquis *quodcunque spirituale per Cœnam nos asse-*
re: *qui iactatis, per alia iam donata à Christo & Deo,*
tia *nos & Patres nostri etiam sub lege assequebamur, &*
tiã *quotidie sine Cœna per Euangelij auditionẽ & mẽtis*
ra *hac fidei eleuationem in Deum assequimur, vt vos in-*
ia? *culcatis.* Dicis sanè aliquid non tamen omnia,
in vt suo loco ostendemus. Sed quod hinc vis effi-
alte ci, inutilem videlicet à nobis reddi Eucharistiã
ent nisi per eam aliquid penitus nouum & prorsus
pec aliud quàm Verbo & cæteris omnibus Sacra-
sen mẽtis nos assequi tecum dicamus, id ego perne-
irit go. Quid enim prohibet quominus res prorsus
? A eadem dissimili tamen ratione & impari effica-
iam cacia præbeatur? Illud quidem certè non infi-
e Pa ciaberis, efficaciam Christi eandẽ nobis in Bap-
ris, tismo & in verbo offerri. Num propterea inuti-
st pe lis est vel nudi verbi auditio Baptismo succedẽs
cel vt in adultis, vel hic illi præcens vt in infantibus?
elis Iustificatus est gratuito fœdere Abrahã in præ-
um putio, an propterea inanis fuit Circũcisio, an po-
ti⁹ fuit illius gratuitæ iustitiæ fidei σφραγὶς? Cor-
idu nelius Messiã in vetere fœdere amplexus quem
nni

veniſſe neſciebat, ideóque iuſtus etiam ab
incircunciſus, an fruſtra audiuit Petrum cyclo
nuntiantem illum ipſum veniſſe quem ad
venturum ſperabat? Nam *Veniſſe & ventu*
*eſſe* duos Chriſtos non conſtituunt. Quid?
pſo iam Spiritu in Cornelium, an fruſtrà ba
ſatus eſt? Si perrexero & ex te quæſiuero,
ſuperuacanea ſit Euchariſtia baptiſatis &
iam iuſtificatis, excipies, ſat ſcio, idcirco va
non eſſe quoniam ipſa carnis Chriſti mand
tio ad illam ſpiritualem duntaxat eius ene
ac beneficiorum perceptionem accedat, q
non rectè abs te dici alio loco declarabitur.
vt ita eſſe tibi largiar, dic, quæſo, ſi inutil
Sacramentum niſi aliquid nouum afferat:
attinet Cœnam Domini repetere? an quòd
ſtimes Chriſti quoque carnem vt corruptib
cibum effluere? Denique negamus inept
ſtam conſequutionem, nihil eos arbitrari
in Euchariſtia, qui doceãt verbo nudo & Sa
mentis tum veteribus tum nouis, rem pr
eãdem (Chriſtum videlicet) nobis per fid
ritualiter participandum dari. Deinde re
deo non temerè vocari nouum fœdus quo
teri fœderi ſucceſſerit, ſítque eo præſtan
neque noua meritò præ veteribus dici. n
ſuam cuique Sacramento formam nouam
à reliquis diſcernitur, adeſſe inficiamur. Idé
eſt pudor in citãdo Auguſt. loco aduerſus e
Chriſti vocẽ non audiunt: quaſi verò nos p
hoc præcipuè principiũ, aduerſum vos nó
mur, ſtandum nobis eſſe in vno Chriſti per
phetas & Apoſtolos prodito verbo: vel

m ads ab Ecclesia profugerimus, ac non potius ex
im cyclopum antro in Ecclesiam Dei nos recepe-
n admus.

## AD CAPVT VI.

Finem institutionis Eucharistiæ non efficere vt τὸ ῥητὸν in eius explicatione sit seruandum.

IC ostendere conaris finem institutionis Cœnæ postulare vt proprietate τῶν ῥητῶν penitus seruata, realē carnis Christi situm in Eucharistia statuamus, & quadruplicem hunc finem statuis, *commendationem charitatis Christi, memoriam eorum quæ nostri causa fecit, remissionem peccatorum in rerum oblatarum perceptione positam, intimam denique nostri cū Christo coniunctionem.* Concedimus hæc omnia, sed ita vt quod vltimo loco statuis, nos primariū ac præcipuum esse, cæteráque antecedere dicamus. prius enim ordine causarum oportere nos ipsum possidere quàm ex ipso quæ in ipso nobis communicātur hauriamus, & prius inesse oportet in memoriæ penu reconditum quod recordando depromitur: prius denique percipi beneficium, quàm de eo percepto gratiæ agantur. Deinde per res oblatas nequaquā vt vos (quod tu versutè significatum voluisti) alteram Christi carnis reipsa Patri factam oblationem (id est detestandum illud vestrum pro viuis & mortuis sacrificium) sed ipsummet Christum sese nobis magis ac magis in hoc mysterio insinuantem intelligimus. Hæc igitur probamus totóque pe-

ctore amplectimur. Sed quod realem illã tu
præsentiam inde statuis, absit vt tibi conce
mus. Neq; enim huius actionis finis est, vt m
bra caput suum quasi in terris adhuc situm q
rant aut manibus complectantur: multò m
vt ore deuorent, sed vt potius fide ad ill
supra cælos conscendant. Caput enim in
lis est, membra verò in terris, & cibus
non est ventris sed mentis, vt scitè inquit
gustinus. Nostrum, inquam, πολίτευμα est in
lis, quanuis adhuc in terris corpore versem
Audiamus tamen quid dicas, *Quum*, inq
*fide credimus Christum adsistere Sacramento q
sumimus, nirum in modũ flamma diuinæ dilect
cor nostrum accendit, & Christi passi memoriam
eius recolimus, & illic in cælis apud Patrem regn
tem adoramus, & hîc in terris manere apud nos
ambigimus, & gloriamur nullam esse tam gran
gentem, quæ deos habeat appropinquantes sibi, s
Deus noster adest nobis.* Hæc quoque omnia co
probamus, modò carnalia cum spiritualibus
confundãtur, & *totus Christus à toto Christi* cõ
Eutychetis dogma discernatur *An nescim*
inquis, *quod Ioannes in Cœna prædicatur, Patrẽ om
illi dedisse in manus, vt nihil sit ei impossibile.* I
pbè hoc scimus, Dei beneficio, neq; quicqu
quod vult Filius, ei impossibile ducimus, quũ
Deus omnipotẽs quatenus Deus, & nomẽ ac
perit supra omne nomen quatenus est hom
Sed negamus eũ velle aut etiã posse velle cõ
dicẽtia, quoniã mentiri nõ potest: neq; propt
ea omnipotens esse desinit. Dicimus hoc quo
sententiam articulis fidei & omnibus scriptu

consentaneam quam tuemur, verè videlicet nos spiritus sancti omnipotentia & fidei organo Christum ipsum participare, multò plus omnium potentiæ Christi tribuere quàm vestram, qui nisi id non posse nisi reali corporum contactu omniatis. *An ita Christi ossores sumus*, inquis, *vt corpoream eius præsentiam abhorreamus?* Nequaquam verò, sed eum quærimus & inuenimus vbi est, iam cum eo per spem sedentes in cælestibus non autem quærentes viuum inter mortuos, & hac per fidem spirituali præsentia Christi sic cõtenti sumus, quandiu à Domino peregrinamur, vt ad eum sursum magis ac magis contendamus. Deniq; in Eucharistia mortẽ eius profitemur donec veniat. An non igitur quod nobis exprobras, vos potius estis sermonis Christi corruptores qui præsentem eam carnem in terris esse dicitis, quam vltimo demum die venturam è cælis credunt Christiani?

Sed & istud cuiusmodi tandẽ est? *pugnant*, inquis, *fortius milites præsente duce sic præliantur animosius Christiani si præsentem suum ducem habuerint, secumque esse vsque ad consummationem seculi crediderint, non soli m spirituali præsentia sed etiã corporea, qua homo ipsis in Sacramento præsto est.*

Illud verò nos concedimus, & decertamus vt in oculis nostri agonothetę nos è cælo & quatenus Deus & quatenus homo est intuẽtis, sicuti sese non deorsum sed sursum Stephano & Saulo etiam visibiliter patefecit, nec hominem à Deo separamus, etiamsi secundum humanitatẽ eum ibi demum esse credimus, vnde vẽturus est. Nemo enim eò loci dicitur vẽturus vbi iam est prę-

sens. Istud verò corporeæ tuæ præsentiæ spe
ctrum idcirco abhorremus quoniam dixit Chr
stus. *Expedit vobis vt ego abeam:* & testatur A
postolus nos à Christo abesse peregrinantes,
deóque adeum suspirare.

*Nihil*, inquis, *sublimius hoc Sacramento potu*
*Ecclesia à Deo susc ipere, non modo propter substanti*
*mutationem quæ in eo fit, & alia dona quæ ab eo c*
*pit, sed quòd in vnum corpus cum suo pastore redig*
*tur non tantùm spiritu, quod recta fides & synce*
*charitas consequitur, sed vt simus membra corpor*
*eius ex carne eius & ossibus eius.*

De substantiæ .i. ipsius panis & vini in ipsu
corpus, & ipsum sanguinem Christi transmuta
tione quod nugaris, quàm idoneis argument
probes postea viderimus. Nos autem non mod
Christi beneficia tum nobis imputata tum int
nos collata consequi, sed imprimis Christum
psum nostrum fieri oportere, quis vnquam no
strûm est inficiatus? & magnum illud esse con
iunctionis Ecclesiæ & Christi arcanum dicem
diserte Apostolo quis nostrûm non assentitur
Sint igitur hæc diuersa, modò nunquam sint de
iuncta: & corporis quidem sit munus verbum
externũ audire & symbola terrena sumere: men
tis autem fidelis opus ipsa Christi apprehensio
& omnium quæ in eo sunt ad nostram salutem
comparata. Denique noris hoc semel oporte
non hoc esse argumentari, sed conuitiari, quod
refutationem nullam meretur. Sic autem vno
verbo respondemus. Neque ipsius Sacramen
ti, id est, carnis Christi veritatem, neque finem
quius causa est tota hæc actio instituta (spiritua-

lem

lē videlicet Christi ipsius ad æternā obtinēdam vitam adeptionem) magis posse cum vestra reali & corporali corporis Christi in hoc Sacramēto in terris præsentia, quàm mendacium cum veritate, & lucem cum tenebris cohærere.

## AD CAPVT VII.

Non posse ex institutionis textu, & figura veteris Agni probari verba institutionis absque tropo vllo esse accipienda.

PROMITTIS hoc capite excussionem institutionis textus, quem tu sanè verè succutis & excutis, vt ex re ipsa apparebit. Commendas Euangelistarum miram in circunstantijs designandis diligētiam mira cum verborum breuitate, & rerum ac misteriorū copia, quasi videlicet ea de re ambigatur, aut Spiritus sancti scripta collaudationibus tuis egeant. Hinc exorsus dicis *tria tum fuisse à Christo instituta & inchoata, nouum pascha, nouum testamentum & nouum Euangelij regnum, quorum vnumquodque figurarū nebulas depellit ne in eorū institutione figuras substituas somniemus.* At tu quæso, annon somniabas quum hæc ipsa figuratè enuntiares? Nam Paschæ nomen neq; Christo neque his mysterijs aliter quàm figuratè tribuere possis. Sed ad rem. Si per nouum Pascha intelligis nouum ritum, tu videris cur tunc inchoatum tam ambiguè dicas. Nec enim suspicio vana est vsum esse te hac voce, vt quę postea illis mysterijs à vestris pontificibus adiecta sunt & quotidie adijciūtur, adijcere licuisse significes

quasi tum videlicet Christus inchoarit quæ vo
bis perficienda relinqueret. Deinde tum inſti
tutum & inchoatum fuisse nouum testamentum
nunquam tibi concessero ob eas causas, quas a
liquoties repetij. Postremò quòd in figurarum
vocabulo ludis, qua conscientia nobiscum aga
ostendis. Si figuras appellas ea quibus venturu
Christus adumbratus est, annon ad vos id pro
priè pertinet, qui maximam rituum vestrorum
partem ex Iudaismo hausistis? Sin verò sic voc
Sacramenta, tú ne audebis negare veteribus Sa
cramentis noua successisse, & quidem re pari
vt testatur Augustinus, quanuis faciliora, pau
ciora, feliciora? Sin (quod potius arbitror) qua
Grammatici figuras, & quos tropos appellan
sic intelligis, quis te vsque adeò impudenter mi
tientem ferat? Sed audiamus cætera,

*Euangelista*, inquis, *his verbis Ante diem fes
Paschæ. ostendit causam institutionis fuisse Christ
erga nos charitatem immensam, cuius potentia quo
amplificat. Temporis denique circunstantiam attu
git, veteris Cœnæ ac paschatis adimpletionem.*

Atqui ne de istis quidem inter nos quæritur
Quod si hinc colligis retinendum τὸ ῥητὸν in in
stitutionis verbis, quis te sic argumentantem
non deriserit? Saltem verò quid sit *Abire ad Pa
trem* expendisses, vt eum qui secundum carnem
à nobis abiit, quærere secundum carnem inte
nos desineres. Quod autem subijcis de loco, i
est, de cœnaculo illo superiore, vbi Apostoli li
turgiã celebrarint & vnde virgo Maria mortu
sit asportata, quorsum quæso à te dicitur? quem
etiam miramur non adiecisse fuisse istam dilect

discipul

discipuli domũ vt ex Papis fortasis Eusebius,& ex hoc alij postea,ne verisimiliter quidẽ descripserunt. Sed ista, mi homo, quorsum nisi vt tibi indulgeres? Ais etiam lotionẽ pedum à Christo adhibitã ante Eucharistiæ confectionẽ,vt doceamur non esse ad illam illota conscientia accedendum. Et hoc rursum quorsum abs te profertur? allegoricum profecto & præter Christi institutum · Dicis postea consentientibus nobis Christum triplicem Cœnam peregisse,typicam quam stando & calceis non detractis festinanter iuxta legis præscriptum manducarit cum Apostolis: alteram communem quum mensæ accubuisset, in qua poculum libatorium propinauit,à qua surrexit vt suorum discipulorum pedes lauaret: tertiam mysticam à duabus alijs prorsus differentem & alienam. Sunto sanè vera hæc omnia, quorum te velim meminisse,vt in his quæ subiicis manifestę calumniæ conuictus tenearis.

Iam ad insignem stultitiã tuam accedo. *Cogor*, inquis, *duabus de Christi facto opinionibus occurrere, antequam progrediamur.*

Imò tu nondum controuersiæ nostræ vel limen ingressus es. Et quæso, quid te hìc coegit hanc quæstionem non mouere modò, sed etiam tam verbosè & quidem cum maledicentia tanta persequi, An cũ cæteris Iudæis, an verò post vel ante alios Iudæos Christus Pascha celebrarit? Nam siue illud siue istud verum sit, non magis hoc pertinet ad id de quo inter nos quæritur, (sítne videlicet natiua singularum institutionis Eucharistiæ vocũ significatio retinenda,an verò sacramentali metonymia mysterium explican-

dum) quàm si vestri Antichristi principatum ex eo colligeres quòd Christus sit natus in Bethlehem.

Quid ergo te impulit vt in hanc quęstionē vltrò te ipsum dares? ambitio nimirum & nostri odium, quibus ducibus fretus non potuisti non à verò aberrare. Age igitur, quandoquidem tu nos cogis ab instituto tecum digredi, quid hoc rei sit videamus.

*Cuida* (inquis) *placet, Paschа Iudaicum nō fuisse à Christo celebratum, quòd tardius venerit quam vt ab ipso posset agnus immolari & apparari. Caluino contrà & Bezа placet Christum vno die anteuertisse Iudæos, qui Paschа eo anno in quintamdecimam lunam procrastinarunt, quoniam coincideret Sabbathū magnum, & ex traditione habebant vt duo festa in vnum diem conferrent, quoties vnum alteri succederet, quam sententiam scio Nicephorum, Munsterū Ostandrum & alios nō indoctos sequi. Veráne an falsa sit non pugno, tantum nego ex Euangelistis liquere quòd vno die Iudæos anteuerterit.*

Dic igitur sodes, cur tantos de hac re clamores excitas quæ vera an falsa sit non pugnas? Dic & istud cur Caluinum & Bezam, quos illius sententiæ non authores, sed ab alijs acceptæ approbatores duntaxat esse confiteris, hac occasione arrepta vt arrogantes, vt imperitos, vt impudētes vt stultos accusandos tibi putaris: annon vt egregij istius commenti obtrusione magnam aliquam ingenij & iudicij singularis famam aucupareris? At vide ne tibi tam facile hæc larua detrahatur, quàm tu temerè illa personatus in hāc scenam, omissa de Cœna Domini controuersia,

prodisti

prodiisti. Prioris illius sententiæ quòd Christus Iudaicum Pascha non celebrarit, authorem edis ad libri tui marginem, poliphemum illum Vilaguanonem, quem quum non in hac re modò, sed in alijs plurimis insanientem vltrò foueritis vos boni Parisienses Doctores, vt & ipsum Postellum adhuc fouetis, vt nobis malediceret, tu videris qua nunc ratione mortuum exagites. Hoc quidem ego testari possum, nisi fortius oppugnetur illa ipsius opinio quàm facias, non facile illius adstipulatores, inter quos aiunt esse quẽdam Benedictum vestrum sodalem & illius familiarem, tibi hac in re cessuros. Sed illum insanum vestrum alumnum omittamus. Causam Caluini & meam nunc ago quandoquidem illã tu nostram esse vis.

*Pugnant*, inquis, *Christum Pascha Iudaicũ cum patrefamilias celebrasse, & vno die anticipasse Paschatis apud Iudæos celebritatem. Quis enim credat patremfamilias contra morem gentis traditionibus addictissime Christo acquieuisse?*

Respondeo nõ vrgere nos quod ais de patrefamilias, quia neque tale quicquã narrant Euangelistę, neque id necessarium fuit. Sed vt ita esse demus, cur non potius ex verbis Euangelistarũ contrarium colligerimus? Apparet enim ad notum quempiam, & qui Christum valde reueretur missos fuisse discipulos: Is verò quum contra interdictum Synagogæ cuius fit mẽtio Ioan. 9.22. non vereretur Christum domum admittere, cuius etiam illa hebdomade antequam caperetur quanta fuerit authoritas ex historia liquet, cur non meritò credatur Christo hac in re quo-

que libēter obſequutus? Nec certè fruſtra Chriſtus hoc illi inter cætera dici iuſſit. *Tempus meū prope eſt.*

*Putant etiam*, inquis, *Chriſtum defunctum fuiſſe ſecundi agni paſchalis officio ſtando antequam cœnaculum aſcenderet: & tamen de eodem agno dici, deſideriū deſideraui hoc paſcha edere vobiſcum antequam patiar, quod dictum ab illo fuit poſtquam diſcubuiſſet in cœnaculo.*

Reſpondeo totū iſtud *Antequam in cœnaculū aſcenderet*, à te eſſe excogitatum, ac proinde te in manifeſta falſitate deprehendi. Deinde ineptè hīc à te ſtatui repugnantiam quæ nulla eſt. Quid enim obſtat quominus illa vox, *Deſideriū deſideraui*, &c. etiam ad Cœnam typicam recentem peractā tam commodè referatur, quàm ad peragendā aut quæ eo ipſo momento perageretur? Poſtremò quum fatearis triplicem Cœnam: Chriſto peractam, aut nobis aſſentiaris oportet, aut oſtendas accubuiſſe Iudæos quū agnum comederent. Quod autē adiicis mirari te *quòd Iudaicas traditiones agnoſcamus, mandato Dei expreſſo contrarias, nullas tamen Chriſtianorum, etiam ſcripturis concordes, admittamus* rurſum abs te cōfingitur. Tantùm enim abeſt vt hanc Iudæorum traditionem approbemus, vt contrà meritò à Chriſto neglectam tueamur. Tu verò, ſycophanta, perinde nobiſcum agis ac ſi Iudæos quidem excuſaremus, Chriſti autem Filij Dei factum reprehenderemus. Deinde vbi tandem inuenies vllam Eccleſiaſticā traditionem Dei verbo accommodatam & Eccleſiæ Dei vtilem à nobis reprehenſam?

*Pugnant*

*Pugnant itidem*, inquis *à Christo Pascha Iudaicum cum eum patrefamilias fuisse perfectum quartadecima luna, priusquam in cœnaculũ sui ministerij causã secederet: & eundem Christum iam profunda nocte cum solis suis duodecim accumbentem inter duas vesperas Iudæorum paschã fecisse, quod vtrunque docet Caluinus, & perinde est ac si diceret Christum bis agno paschali operam dedisse.*

At tu demonstres oportet vbi illud prius scripserit Caluinus. Ad posterius quod attinet manifestè corrumpis Caluini verba Matth. 26.10. Nec enim profunda iam nocte, sed primo vespere Pascha celebrasse Christum tradit, vesperas duas statuens cum Iudæorum doctissimis. Nam Christũ quoque vix probabile fuerit profunda iam nocte in hortum extra vrbẽ exiuisse.

Itaque quod ineptè quoque Caluinum ais, *duas vesperas decimæquartæ lunæ definuisse à Solis occasu eiusdem diei ad primam lucem consequentis, quasi prior vespera à Solis occasu eiusdẽ diei vsque ad obscuram noctem produceretur, & posterior cum Solis subsequentis ortu coniungeretur, vt inter duas vesperas probet Christum vacasse agno immolando & manducando: nihil autem fingi posse stultius quàm vesperas decimi quarti diei quas occasus Solis excludit, nocti decimi quinti attribuere*, hoc inquam impudentiam rursum tuam prodit, quum hac de re ne verbum quidem apud Caluinũ extet. Itaque non ego Caluini errorem studui emendare qui nusquã est, sed hîc rursum tuam extremam impudentiam patefaciam oportet. Nec enim scripsi ego Christũ quartadecima luna celebrasse pascha, quod cõtra legẽ fecisset, sed Mattheũ

dixi decimum quartum diem vocare primu
Azymorum diem ex Romanorũ more, qui n
ctem præcedenti diei accensent, quum alioq
ab occasu decimiquarti diei, ex lege & more l
dæorum, qui noctem subsequenti diei annum
rant, numerandus esset primus Azymorum di
nempe decimus quintus. En quo nos iure (bo
vir) vt arrogantes, impudentes, imperitos, in
ptos, stultos appelles. Quid tu verò doctissi
Domine Doctor hac de re arbitraris?

*Nihil verò*, inquis, *tot argutijs opus est, qu
actio Christi prorsus cum lege conueniat.* Ergo n
biscum hactenus tu quoque ineptis. Quid eni
aliud diximus? *Immolabatur*, inquis, *agnus qu
ta decima luna mensis primi ad vesperam, id est, v
ad vesperã quæ ingruebat nocti decimæ quartæ, q
tota nocte licebat agnum edere, ita vt celebritas a
paschalis diem decimum quartum & noctem dec
quinti occuparet: sed illam ad immolationem, ha
verò ad esum.*

Imò verò Moses agens de immolatione si
præparatione ipsius agni, iubet id fieri non
vesperam sed inter duas vesperas, edi vero v
spere: quorum locorum collatio ostendit nõ t
tam diem sed postremam partem, nempe à no
ad duodecimam exactã horam siue ad occasu
Solis immolationi & præparationi datam fuis
esui verò horam primam noctis, à quadec
mus quintus dies, qui primus erat Azymoru
incipiebat: & ita intelligendum esse illud *In
duas vesperas* potius quàm de crepusculo vesp
tino & plena nocte didici non tam ex Kim
quàm ex collatione loci Exod. 29, 39. de iugi
crific

crificio inter duas vesperas peragendo, cum loco Actor. 3.1. vbi horam nonam (tertiam videlicet ante occasum) vocat horam precationis, quòd eo tempore accẽsis lucernis fieret suffitus Exod. 39. 57, foris stante populo Luc. 1.10. Itaque tripliciter hîc peccas, nempe quòd quartam diei partem pro toto die accipias, *& in vespera, pro vsq; ad vesperam* interpreteris, nec quid sit illud *Inter duas vesperas*, intelligas. Et quod ais te ex Rabinis & Iosepho intellexisse de duplici vespera festorum, imperitè vel abs te dicitur, vel ab illis traditur. Neque enim ista formula *Inter duas vesperas* fuit duorum festorum propria, sed singulis diebus communis, vt apparet nõ modo ex tempore quod erat iugi sacrificio quotidiano destinatum, sed etiam ex loco Exod. 16. 12. ex quo & illud liquere potest, tempus illud diei ferè fuisse apparatui cœnæ & cœnationi, quotidianæ (sicut & apud nos) destinatum. Sed tibi homini acutissimo non fit verisimile tribus horis potuisse trecenta millia agnorum immolari, & eorũ viscera adoleri, quot ferè in Paschæ festo solita fuisse mactari scribit Iosephus. Atqui (vt tibi concedã in templo à Leuitis solitos fuisse agnos singulares paschæ iugulari, quod fortassis non ita facil èeuiceris) vt tantùm tria millia Leuitarum fuerint (fuisse autem sæpè illos multò plures ex historiis sacris liquet) quid obstat quo minus tribus horis singuli iugulare centũ agnos & interanea decerpere altarique imponere potuerint? consumi autẽ tribus horis illa minimè necesse fuit. Viden' igitur quantò sit facilius hominibus arrogantibus & odio percitis aliena re-

prehendere, quàm sua defendere? Sed quid h
rei est quæso? vt nostram imperitiam, arrog
tiam, stultitiam patefaceres, tibi necesse fuit n
tantùm Christum ostendere secundum leg
Pascha celebrasse, qua de re frustrà disput
quum in eo minimè dissentiamus, sed ostend
quinam sit falsum quod diximus, Iudæos vid
cet non decima quinta die, vt oportuit, sed
cima sexta nocte demum ex traditione, Pas
eo anno celebrasse: quod vt eludas conten
quod etiam amplecti videtur Stapulensis, q
dicuntur Iudæi non ingressi prætorium ne c
ta minarentur, sed vt manducarent pascha,
Azymis panibus dictum: & totos etiam illos
tem dies Paschæ quoq; nomine appellari cō
tū fuisse. Hoc posterius tibi cōcedo, illud pro
nego, vel consueuisse Israelitas alio tēpore q
nocte decimum quintū diem inchoante Pas
manducare. *At enim*, inqui, *Lucas sic explic*
*Inquit enim, Appropinquabat s dies festus Azym*
*qui dicitur Pascha.* Imò hoc testimonio iugula
Nec enim septem illi dies erant festi, sed prin
duntaxat & vltimus: neque ipsos Azymos pan
vel eorum esum vocat Lucas Pascha, nisi fo
sic ineptis vt illos quoque velis immolari c
sueuisse: Nam subiicit Lucas, *Aduenit autem*
*Azymorū primus in quo oportebat mactari Pas*
Primum autem diem Azymorum illîc voc
decimum quartum diem, quum tamen Azym
les illi dies à nocte decimi quinti inciperent:
idcirco fieri quòd nox quadam vulgi consue
dine antecedenti diei non consequenti (vt
ctum oportuit) accenseretur, num tu inficiari

gus? Certè vt arbitror, vt qui ita etiam ineptias vt celebritati Paschæ diem decimum quartum & noctem decimi quinti tribuas, quod esse falsissimum vel illud arguit quòd die primo Azymorum erat conuocatio sancta, erant autem Azymorum dies omnino septem. Quod si septem illos dies ab ipso decimo quarto numeres, terminaretur festum vicesimo die mensis Nisan At contrà vltimum diem Paschæ quo & ipso sacra erat cõuocatio terminat die vicesima prima Moses Exod. 12. 18. & quidem ad vesperam, à qua videlicet incipiebat dies 22. mensis Nisan, ex Iudæorum more. Sed quid ad hæc Ioannis verba respondes *parasceue autẽ erat Paschæ hora quasi sexta*? nempe ita es impudens vt illic quoque nõ agnum, sed Azymos panes velis significari, adeò vt me in hoc quoque reprehendas quòd maluerim apud Matthæũ vertere, *Scitis intra duos dies Pascha fore*. quàm cum vetere interprete, *Scitis quia post biduum Pascha fiet*. Quasi verò inter *esse* & *fieri*, aliquid hoc loco interfit: & ipse Marcus 14. 1. non scribat ἦν δὲ τὸ πάσχα μετὰ δύο ἡμέρας, *erat autem pascha duobus pòst diebus*: & quasi non optimo iure barbarũ illud *quia* vitarim: quasi deniq; res ipsa non ostendat, Latinè dici post biduũ fieri quod tertio demum pòst die eueniat, quum hîc de ipso altero die mox consequente agatur, vt omnino vel *intra duos dies*, *vel biduo pòst*, non autem *post biduum* conuertere hoc loco oportuerit, quemadmodum illud μετὰ τρεῖς ἡμέρας, quum de Christi resurrectione agitur, non *post tres dies*, sed *tribus pòst diebus* interpretandum esse docui. Sed ad rem. Dic tu nobis censor acerrime, cur

non dixit ibi Iohannes simpliciter *parasceue* dic
*parasceue Sabbathi*? nempe quia non de septi ex
vulgari Sabbatho, sed de magno & extraordinar
rio Sabbatho, die videlicet Azymorum pri *Eu*
agebatur. Nam de totis illis septem diebus id *stus*
telligi non posse ex eo liquet, quòd etiam si ver
gressu in prætorium fuissent contaminati, nõ *vt*
rasset tamen totis septem diebus immundi *Ch*
neque nomen παρασκευῆς aliò quàm ad præp *qua*
tionem agni & diem festum respicit, in quo *cui*
mum ab omni seruili opere abstinendũ erat *sac*
prius parari quàm edi pascha oportuit. Quidis
autem die fuit hæc parasceue? nempe quinto doe
cimo, quoto crucifixus fuit Dominus. Effic nos
ergo quo die passus est Dominus Iudæos agi peri
apparasse, quem ea demum nocte quæ decim tanc
sextam inchoabat comederint, ac proind nem
traditione proculdubio, festum diem in proi Rab
cohærens Sabbathum (sicut & vos in vestru cui
stra authoritate introductis festis factitatis) Sed
stuliſſe. Aut igitur Christus Pascha non cele rede
uit omnino, aut vno die (quod nos defendim deli
non traditionem Iudaicam, quæ irritum fa logi
bat Dei mandatum, sed legem, cui se pro ex C
nos subiecit, sequutus, vno die integro Iud scrip
anteuertit. Et sanè si hoc Sabbathum ordin Add
erat, ac non potius (vt vestro quodam Iudai tribu
loquimini) festum duplex, cur magnum ve iugu
tum esset? & cui persuaseris passuros fuisse extr
dæos iudicium fieri, & sumi supplicium tam *dam*
ita loquar) exosum die primo, grandi illo f *tual*
Azymorum, si eum, id est, decimum quintum *eti.a*
lege celebrassent, quum ne corpora quidem *pora*

die remanere in cruce sustineant, nõ modò quia ex in genere vetabat, sed imprimis propter sabbathi illius magni diẽ? Restat ergo falsum esse *ex Euãgelista non liquere quòd vno die Iudæos Christus anteuerterit.* Hinc autẽ disputationẽ quũ his verbis concludis, *Ne reuocemus in dubium de quo vt opinor, nemo antiquorum Patrum dubitauit, An Christus Iudæorum Pascha cum suis discipulis tanquam paterfamilias fecerit tempore & ritu legitimo, cui post expletas de more epulas communium ciborũ sacrosanctæ Eucharistiæ institutionem subiecit*, prodis rursum quò vsque te odium nostri, vel pseudoepiscopatus ambitio abduxerit: qui postquam nos dixisti multa arroganter, ineptè, stultè, imperitè, repugnanter de Paschate Iudaico dixisse, tandem id ipsum concludis quod nos sentimus, nempe Christum neglecta meritò traditione Rabinica, hîc quoque vt in cæteris præscriptam cui sese vltrò nostri causa subiecit, legẽ seruasse. Sed agè tecum tandiu expatiati tandem domũ redeamus. Subiicis hîc demum, vt te ipsum videlicet vendites, verbosam collationem & analogiam agni paschalis cum sacra domini Cœna ex Caluino & aliis nostris penè ad verbum descriptam, in qua vltrò tibi, sicuti par est, assentior. Addis postea frustra iugulatũ fuisse agnũ à Patribus nisi etiam fuisset comesus, imò idcirco iugulatum fuisse vt comederetur, quod & ipsum extra controuersiam est. *Ergo*, inquis, *ad implendam figurã, sicut non satis fuit occidi Christum spiritualiter, sed corporaliter debuit vitam profundere, sic etiam non satis est ipsum spiritualiter, sed etiam corporaliter oportet manducari.* Et vt hoc ænigma in-

terpreteris, subiicis. *Christus occisus est ab origi*rit,
*mundi fide tenus & spiritu, nec ea occisio potuit a*gu
*Iudaici explere veritatẽ, nisi reipsa agnus ille fu*reip
*occisus. Itidem mãducatus fuit ab origine mundi,*fide
*fide tenus ac spiritu & multò minus talis manduca*rer
*potuit exhibere agni Iudaici veritatẽ, quàm spiri*ficu
*lis occisio quandoquidem ratio agni paschalis*
*propriè consistit in mactatione agni, sed in esu qua*das
*cæremonia præscripto*, Hæc tua verè, mihi quide fide
ænigmatica experiar an planius possim explinisi
re. Tu videris an à me satis sint percepta. Dup& p
esse mihi videtur tuum argumentum, & qu& p
posteriore loco statuis fuisse priore collocan qui
Esse autem arbitror eiusmodi. Non satis fuit por
tribus fide & spiritu occisum esse Christum, ter
eũ corporaliter & reipsa quoq; occidi oport reip
Ergo non satis etiam fuit manducari spiritu non
ter Christum sed corporaliter quoque edi. Ita illu
in agno paschali reipsa quoque & corporali cui
agnus tum occidebatur tum manducabatur. mu
qui si spiritualis seu fidei esus ille Christi rei bili
& corporaliter tandem venturi & occidendi dun
satis fuit Patribus ad salutem, sed corporali rei
illum quoque comedi semper oportuit: aut R
tres nunc quoque beatæ vitæ sedibus exclusi act
aut offendas oportet vbi & quo tandem temp mo
re corporaliter quoque Christum manducam ad
Quod si corporaliter quoque non manducam qu
sed tantùm spiritualiter, & tamen (quandocum tan
tandem id factum esse velis) seruati sunt: nemp cra
falsa fuerit, quod ad illos attinet, illa quam p tat
nis manducationis corporalis necessitas, Co
si illis non fuit necessaria: cur nobis potius fu tu

rit, vt grauius sit nostrum quàm illorum iu-
gum? Res autem ita se habet, Quanuis nondum
reipsa existeret Christi caro in sese, erat tamen
fidei Patrum præsentissima, quòd fides esset illis
rerum etiam quæ nondum extabant hypostasis,
sicuti mors Christi quæ iam præteriit, nostræ
quoque fidei præsens est: sed vana tamẽ & men-
dax fuisset Patrum tum ante legem tum sub lege
fides & spes in vẽturum & passurum Christum,
nisi reipsa corporaliter tãdem Christus venisset
& passus esset. Corporalis autem manducatio
& perceptio inde statui nec potest nec debet,
quia vt corporaliter & reipsa extare tandem o-
portuerit fidei obiectum, & reipsa ac corporali-
ter præstari pœnas quas alioqui corporaliter ac
reipsa luiã Patribus ipsis necesse fuisset: tamen
non efficitur corporalem esse quoque oportuisse
illius obiecti apprehensionem & perceptionem
cui significandæ nomen manducationis tum de-
mum inditum est quum Sacramenta manduca-
bilia instituta sunt: ex quo etiam illud colligen-
dum est manducationem propriè quidem signis
rei autem significatæ translatitiè conuenire.
Ratio est, quia manducatio est propriè corporis
actio non animi, & huius vnius vitæ viui accõ-
modata: Christi autem ipsius perceptio, quum
ad spiritualem & æternam vitam spectet, spiritu
quoque & animo, fide denique fiat oportet, quæ
tamen fides, sensibus quoque corporeis per Sa-
cramenta tũ obiecta commotis, ad energiã excì-
tatur. Alterũ autẽ tuum argumentum sic accipio.
Corporaliter & reipsa occidebatur & comedeba-
tur agnus tipicus, adeò quidẽ vt potissimæ essent

esus partes, vt pote cuius causa instituta erat im
molatio. Ergo vt figuræ respondeat veritas, sic
oportuit verum agnum corporaliter quoque
reipsa occidi, sic oportet quoque à nobis corp
raliter *& reipsa comedi, quamobrem etiam Paul
quum dixisset Christum Pascha nostrum immola
esse, addit* ἑορτάζωμεν, *id est, solenni ritu epulemur
Azymis syncerit atis.* Ego verò concedo sicut
gni typici, sic quoque agni veri corporalem
realem mortem esse oportuisse. Concedo & ill
carnem Christi crucifixam non magis prode
nisi verè à nobis sumatur, quàm prodest fam
lico cibus optimè præparatus, quo tamen n
vescatur, Sed quod tu analogiam eò usque vr
vt corporalem quoque modum istius sumptu
nis esse velis, sicut coporali modo typicus agn
edebatur, id ego, ob eam causam quam anter
tuli, pernego. Nec enim vt sua signis ac figu
veritas constet, hæc inter se per omnia sed h
ctenus comparanda sunt quatenus fert eius co
silium & voluntas à quo signa & figuræ inst
tuuntur: & quatenus tum signorum tum rer
significatarum natura patitur. Locum aute
Pauli ineptissimè ad paschatis & Eucharistiæ
pulum detorques, quanuis eò alluserit. Epulu
enim ad quod nos adhortatur, vniuersæ vit
Christianæ cursus est, id quod ex Azymorum
allegoria apparet. Itaque ex hoc quoque Pau
loco statuitur quod illam tuam consequutio
apertè conuellit, nempe in ipso Eucharistiæ so
lenni ritu nō alia ratione à nobis Christū quàm
tota nostra vita, syncera nimirum fide sesepe
opera bona exerente comedi.

Disputa

Disputas postea multis verbis aduersus eos, *qui vt figuræ respondeat veritas tempus etiam vrgēt, ideóque contendunt sicut agni caro post mactationē demum apposita est, sic Christi carnem non debuisse nisi post passionem apponi.* Quod enim rursus perobscurè tuo more scripsisti, sic planius scripsisses. Respondes inter cætera: *in agno typico antecessisse mortem, quoniam edi communis caro nisi mortua nequiuit ab homine: nos autem credimus & edimus carnem Christi viuam & viuificatricē, cui mors tantùm sit dominata quandiu voluit.* Fateris ergo hactenus vrgendam analogiam istorum rituum cum re significata, quatenus rei significatæ natura & finis ipse institutionis paritur. Rursum igitur nobis hoc responsum pari ratione suggeris, agnum figuram corporali modo fuisse (ore videlicet) comesum, quia communis caro nisi ore comedi ab homine non potest: nos autem credere & edere viuam & viuificatricem carnē Christi non in istam animalem, sed in æternam vitam ac spiritualem, ideóque fidei esum hunc esse non oris, neque ventris sed mentis cibum. Istud verò de quo disputas, ad nos quidem nihil pertinet. Instituis rursum verbosam Cœnæ dominicæ & esus agni paschalis collationem, ex Caluino & nostris maxima ex parte desumptā ideóque minimè à nobis repetendam. Sed quod inde colligis, age expendamus. *Si spiritualiter tantùm*, inquis, *& per fidem Christus percipitur in Eucharistiæ Cœna, neque loquutio qua instituitur Eucharistia, alia est quàm Sacramētalis & eadem qua dicitur agnus esse pascha, Christus operam perdidit.* Benè est sanè quod conditionem & quidem du-

plicem appoſuiſti, ſed vereor vt tuo more id facias ſiue inſcitia, ſiue improbitate. Nam ſi tibi illud *Spiritualiter*, & *per fidem* idem declarat atq; *Sola energia & efficacitate, aut imaginatione quadã* excluſa ipſius Chriſti communicatione, nobis iniuriam facis. Nam iſtud *Spiritualiter* non adit quod percipitur (ipſũ enim Chriſtũ totũ oportere noſtrum fieri dicimus, quoniã neq; diuiſus neque ſibi non inſitos nos ſeruaret) ſed tu mã ipſum perceptionis inſtrumẽtum (nempe, quod ad Deum attinet) ad Spiritus ſancti potentiam & (quod ad nos ſpectat) ad fidẽ, animi habitum gratis nobis datum: tum ad ipſum perceptionis modum, atque adeò ad totum hoc myſterium minimè imaginarium quanuis merè ſpirituale referimus. Deinde ſi comparationem harũ duarum formularum *Hoc* ſiue *Hic panis eſt corpus meum* &, *agnus eſt paſcha* perinde interpretaris ac ſi panem illum non aliter eſſe corpus Domini diceremus quàm agnus fuerit paſcha, ſycophantam agis. Citari enim à nobis hoc exemplũ non ignoras vt idem in vtroque dicendi genus eſſe probemus, non quòd ſententiam vtriuſque parem, ac multò minus eandem eſſe arbitremur. Agnus enim dicitur eſſe Paſcha, id eſt, trãſitio, vt & panis corpus ſacramentali metonymia: ſed non conſequitur Paſcha idem valere atq; Corpus traditum pro nobis. Poſtremo ne ſi verum quidem eſſet quod ais, conſequeretur quod tu contendis, niſi putas operam luſiſſe Deum, qui figuras figuris ad eandem penitus ſcopum collimantibus cumularet: aut quum eadem iiſdem aut aliquantulum variatis verbis inculcauit tardis

dis discipulis. Sed age probationem istius paradoxi audiamus. *Si sic est*, inquis, *nec rerum nec verborum figura desierunt, nec noui testamenti vt noui regni Christus in Cœna initium fecit.* Mira certè narras, mi homo. Si vis rerum figuras desijsse Christi aduentu id est, sic exhibita regni cælestis mysteria vt nullis iam figuris tectū sed prorsus nudum mysterium nostrę salutis nobis exhibeatur, tolle igitur ex Christiana religione Sacramenta, nec Baptismus saltem succesierit Circuncisioni, nec amplius Deum per ænigma cognoscamus, sed sicuti est aspiciamus. Et quorsum vos igitur pro duobus Sacramentis tot adiunxistis Sacramenta, & Sacramentis tot sacramentalia quæ vocatis, de quarum rerum figurata significatione garrire nunquam desinitis? Iam verò quod ad verborum figuras attinet, si sublatas illas esse vis, expungas sanè omnium Euangelistarum & Apostolorum scripta necesse est. De initio autem noui testamenti & noui regni quod ab Eucharistiæ institutione ducis, quod toties dixi iterum dico, nimiùm esse te hoc in delirio ineptū ac importunum. Nam siue promulgationem ipsam primam Euangelij, seu noui fœderis respiciamus, extra quod nemo vnquam seruatus est, ad primam Euangelicam promissionem mox peccatum subsequutam, ac deinceps ad promissionem Abrahamo factam retrocedendum est, vt facit Apostolus ad Galatas de vtroque testamēto disserēs: siue ipsam realem Christi exhibitionē, & eorū præstationem per quæ reconciliatio facta est, spectemus, à Christi cōceptione exordium facere oportet: sin ad com-

pletionem mysterij salutis nostræ, ad resurrectionem venire oportet, quo tempore demum se à Patre potestatem accepisse Christus ipse testatur, quod tamen plenissimè per assumptionem in cælos ad dextrã Patris reipsa completũ in ipso fuit, & in nobis vltimo demum die complebitur. Quid igitur, inquies? an non hoc est nouum illud testamentum in sanguine ipsius? nempe quod ad nouam eius fœderis σφραγίδος institutionem, non quod ad ipsius fœderis initium ac præstationem attinet. qua de re vt tandẽ aliquando tibi liqueat, Age Apostoli vestigia, deinde Sorbonicam ipsam doctrinã sequamur. Negare nõ potes quin Circuncisio fœderi appensa, Apostolo authore sit iustitiæ fidei sigillũ, quæ contigit Abrahamo, in præputio. Vos quoque Scholastici quum veteribus cæteris Sacramentis omnem gratiæ collationem detrahatis, Circuncisioni tamen idem in genere atque Baptismo tribuitis. At Circuncisio, quum fœdus illud gratuitæ salutis per Christum venturum imò etiam eius effectum, id est, iustificationem in Abrahamo non præcesserit, sed aliquot post annis sequuta sit, certè fœdus ipsum nõ inchoauit, sed Apostolo teste obsignauit: ideóque sic fœdus vocatur, vt addatur idcirco fœdus vocari quia sit fœderis signaculum. Quãtò minus verò Baptismus tot post annis Circuncisionis loco introductus, ipsum fœdus inchoauit? Quod si velis noui fœderis exhibitionem à Baptismo inchoatam quò videtur Ieremias cap. 31. respexisse, ergo Cœna Domini 34. post annis sequuta, non fuerit Noui testamenti initium. Quod enim

nim nonnulli veſtrûm Baptiſmi inſtitutionem primam referunt ad miſsionem poſtremam Apoſtolorum, ne refutatione quidem indiget. Et ne obiicias in infantibus ſaltē fœdus inchoari à Baptiſmo ne id quidem ego conceſſero. Aio enim idcirco baptiſari ſanctorum liberos quod ſint in patrum fœdere ex hac formula comprehenſi, Ero Deus tuus ac ſeminis tui: nec minus vos ineptè facere dico quum Iudæorum aut Turcarum infantes inſciis, aut non poſtulantibus parentibus temerè baptiſatis, quàm ſi puræ chartæ ſigillum apponeretis. Audiamus cætera.

*Quid alioqui Euchariſtia affert aut præ ſe fert quo Cœnam typicam excellat ſiue quo ad rem ſiue quo ad ſermonem? Certè Chriſtus ſignificantius & expreſſius per agnũ aſſum & eius ſanguinem poſtibus illitũ repræſentabatur quàm per panẽ aridum aut virum purũ: & ſpiritualiter pro menſura fidei tã participabatur Chriſti caro in manducatione agni, quàm pro eadem menſura participatur ſpiritualiter in Euchariſtia. Et ſermo Chriſti in ſua Cœna idem eſſe ab aduerſarijs defenditur, atque is quo agni Iudaici Cœna comprehenditur, quoniam in re vtraque aiunt parem eſſe loquutionem.*

Reſpondeo tibi verbis ab Auguſtino ſæpe, quod tu non ignoras, inculcatis, *re paria* videlicet fuiſſe veterũ Sacramenta cum noſtris, id eſt, rem eandem eodem perceptionis modo, quãuis ſub diuerſis figuris ſacramentaliter, id eſt, minimè vanè aut inaniter ſignificaſſe, ſed pari nequaquam menſura & effectu, niſi quidem per nos ſteterit. Noſtra enim ſunt multò ſignificantiora & efficaciora, qua de re ſuo loco plenius

disseram, vt omnes intelligant quàm falsò dicas expressius significatam Christi participationem in Iudaica Cœna quàm in Christianorum Eucharistia. In summa dico insulsam esse hanc consequutionem, Res eadem in typica & Domini Cœna datur eodem modo nempe spiritali, & pro mensura fidei participanda, ergo nihil amplius datur in Eucharistia quàm in Iudaica Cœna. Nam & hoc paucis dico quod postea plenius, vbi ad discrimen istorum Sacramentorum ventum erit, Deo fauente, explicabo. Res eadem tradi impari in sese ratione potest. Plus enim est rem ipsam existentem tradere, quàm ius in rem nondum existentem quanuis certò futuram tribuere, etiamsi interea fructus ex ea re percipias, quam iure tantùm non ipso facto possideas: & idem instrumentum quanuis in genere similiter motum, tamen non pari semper motu mouetur, ac proinde non pariter semper agit. Quod ad ipsum autem dicendi genus attinet, quid obstat quominus de rebus etiam diuersissimis, nedum κατὰ τὸ πλέον καὶ τὸ ἧττον duntaxat imparibus, eadem dicendi formula disseram? Inanes autem illos clamores quos in reliqua huius capitis parte profundis, vt id de quo minimè ambigitur, id est Eucharistiæ dignitatem ostendas, cur tandem repetierim? per me igitur ad rauim vsque vocifereris licet.

AD CAPVT

## AD CAPVT VIII.

Neque ex verbis Christi quibus Eucharistia instituitur, neque ex inchoatione ac proprietate Noui testamenti euinci retinendum τὸ ἅπαξ in institutionis Eucharistiæ explicatione.

VSCEPISTI in primis hoc capite demonstrandum quàm multis modis contextum institutionis Eucharistię in Latina translatione corruperimus.

Primam nostram deprauationem in eo ponis, *quòd verba* εὐχαριστεῖν & εὐλογεῖν *ex verbis transitiuis reddiderimus absolata.* Vnde verò de verbo εὐλογεῖν istud coniicis? Num enim illi aliquem casum in Eucharistiæ verbis expressum ademimus? num aliter quàm tu ipse verbum hoc conuertimus? Nam tua hæc est interpretatio, *Cœnantibus illis accepit Iesus panem, & benedixit* (siue *gratias egit*) *acfregit deditque* &c. Alteram autem partem sic tu ipse conuertis. *Accipiens calicem gratias egit & dedit illis*, &c. Quis tuus igitur hic pudor est, quum per tuam interpretationem nobis liceat ipsum benedicendi verbum ex priore parte expungere (quòd tamen minimè fecimus) & tu ipse in posteriore expunxeris: quum denique illud tu quoque nullo addito casu expresseris, audere nos tamen accusare quòd illud ex transitiuo absolutũ reddiderimus? Quod si non de ipsa huius vocis in Latinum sermonem conuersione, sed de explicatione conquereris, fateor quidem à nobis vestrum illud magicum consecrationis commentum damnari, sed vt di-

iudicetur an propterea benedictionem ac con-
secrationem aboleamus, perinde acsi benedi-
ctio sacramentalis à communi & vulgata grati-
rum actione nihil differret, æquum est vt quum
tu sis actor, ego verò reus, ex meis potius quàm
ex tuis scriptis statuatur. Mea verò hæc totidem
verba sunt in illũ locũ Pauli 1. Cor. 10, 16. τὸ ποτ-
ήριον ὁ ἐλογοῦμεν. *Luto* ἐλογεῖν *idem hic declarare a-
que infinitis locis veteris testamenti* קדש, *id est,* ἁγιά-
ζειν καὶ καθιεροῦν .i. *sanctificare & consecrare, quia m-
mirum recitata & exposita Dei ordinatione, pan-
& vinum huic vsui sacro destinantur, vt sint veri
naturalis corporis & sanguinis Christi Sacrament-
id est, symbola & tesseræ, & ita quidem vt id qu-
significatur, vere nobis spiritualiter per fidem par-
cipandum offeratur.* Hæc mea verba sunt ex qu-
bus cõstare iam arbitror quo pudore nobis im-
pudentiam & mendacium attribuas. Iam ver-
quod ad verbum ἐχαριστεῖν attinet, annõ tu qu-
que conuertis per *Gratias egit?* Ergo absolut-
non transitiuè. Nec te pudet id ipsum nobis ob-
iicere, quod agas, & quidem vel inuitus? Nec-
nim aliter conuertit etiam vester Canon, in a-
terius partis consecratione. Nos verò etsi Eua-
gelistas sequuti ἐλογεῖν & ἐχαριστεῖν pro eode-
sumimus, tamen sic explicari à nobis hanc gra-
tiarum actionem vt à vulgata & communi cib-
rum sanctificatione discernatur, & ipsam sacra-
mentalem consecrationem includat, quæ cu-
peculiari Dei collaudatione sit coniuncta: à no-
bis denique probari illam Oecumenij explica-
tionem ὃ ἐλογοῦμεν, id est, ὁ ἐλογοῦντες κατασκευ-
ζομεν, vt benedicere idem valeat atque cum gra-
tiarum

tiarum actione ad sacramentalem vsum præparare, ne tu quidē nisi impudēter inficiari potes.

Alterum hoc in nobis reprehendis quòd pronomen *Hoc* interpretemur *Hunc panem, omnium* vt inquis, *nostrarum fallaciarū fundamentū*. Quinetiā ais, *sic à nobis Lutheranorū oculos quasi cornicū configi*. Isti certè quos Lutheranos vocas, panem vestro more nusquam ex Domini Cœna excludunt, etiamsi de huius pronominis vi à nobis discrepant. Tibi itaq; cum illis non minus quàm nobiscum certamen est. Sed tu libens nimirum, vt tuam illam non sanè bellam transsubstantiatam Helenam serues, nostris, vt olim Troiani Agamemnonis & Achillis, dissidijs delectaris, quæ te spes (vt spero) tandē fallet. Ad nos autē quod attinet, quoniam te alibi probaturū polliceris *neque textum ita habere* (quod vltrò confitemur) *nec pati scripturas vt ita habere possit*, quum dictū potius à te oportuerit. *Vt ita explicari possit*, age nos in eum locum istam disputationem differamus.

Audiamus iam grande & inexpiabile Bezæ facinus, qui τοῦτο τὸ αἷμά μου vertit, Hoc est sanguis meus, quoniam Lucas τὸ ποτήριον nomen ipsi pronomini τοῦτο adiunctum expresit. Quid tu verò contrà? *Si*, inquis, *apud Lucam* τοῦτο *demonstrat* ποτήριον *siue poculum cui affigitur, quare non demonstrabit* αἷμα *siue sanguinem, cui similiter annectitur?* Atqui mi acerrime censor, ne si quidem meam versionem seu interpretationem sequaris, præiudicium attuleris identicæ quam mox statui, enuntiationi. Nec enim adieci apud Matthæum aut Marcum poculi nomen, quia mihi summa

religio fuit contextũ vllo modo violare. Istave si tuo sensu accipiantur, annon idẽ valent *Hoc Hæc res, est sanguis meus, &c, Hic est*, vel *Ecce sang meus?* Sed heus tu bone vir, cur hic non val quod tute ãtea dixisti, Euãgelistas videlicet m tuas inter se operas tradidisse? Quod autẽ fa negabas in Eucharistiæ institutionis verbis q si per se penitus perspicuis, ecce falsum hîc conuincitur. Prospiciens enim Spiritus sanct fore vt ambigeretur non tã ab hominibus qu à stipitibus, quid per pronomen τοῦτο demonst retur (quanuis id satis non penitus insanis liq ret ex eo quod dixerat Christum videlicet p culum manibus suis accepisse) ipsum antece πότηριον expressit. Affers hanc alteram quoque me rationem. *Quum Moses dicens* τοῦτο τὸ α τῆς διαθήκης *Hic est sanguis testamenti, nihil al voluerit indicare, quàm sanguinem ipsum, qui tam hyssopo ceu vasculo continebatur, cur eodem pro stilo vtens Christus, existimabitur vasculum aliq præter sanguinem indicasse?* Agnosco Illyrici ill infelicis memoriæ discipulum, fortassis à vo quoque ad turbandas Ecclesias conducti: & mul agnosco iustũ in te excœcando diuinũ i diciũ. Obsecro enim, si pares sunt istæ formul ea quidẽ quam tu vis ratione: & Moses nihil n illum ipsum sanguinem in hyssopo content demonstrauit, quid etiam demonstrauerit D minus? nempe sanguinem solum suum, in cali cõtentũ. Ergo plurimùm à Mose dissentit Chr stus. Nam ille duntaxat signum, Christus re ipsam significatam duntaxat expresserit. At ille quidem rem significatam (illum videli

Chri

Christi fundendum sanguinem, vt author epistolæ ad Hebræos ostēdit, id est, illud ipsum quo fœdus sanciebatur, & quò respicere Israelitas oportuit) sciens prætererierit: Christus verò signi quod eo ipso tempore instituebat, nullam fecerit mentionem? Res autem ita habet. Nec Moses nec Christus signum aut rem significatā prætermisit. Nam ille sanguinem fœderis nominans, sacramentum à re communi discernit, &, quanuis obscurè (vt sub lege) tamen satis innuit hunc sanguinem quem fundebat, esse alterius nō communis fundendi Sacramentum, quum sanguis ipse taurorum & hircorum conciliare homines Deo nunquam potuerit: Christus verò tum signum demonstrat pronomine τοῦτο, tum rem Sacramenti quū illi sanguinis sui nomen attribuit. Inter Mosis verò dictum & Christi verba illud interest, quòd apud illum vnus sanguis signum est alterius: in Christi verò sententia vinū est sanguinis Sacramentum. Cæterum tertiā quoque rationem profers eiusmodi: *Poculum*, inquis, *pro vase aut vini potione non potest esse nouū Testamentum, neque tessera noui Testamenti quod exigit sanguinē Filij Dei. Ideóque non aliud quàm ipsemet sanguis designatur per poculum.* Respondeo quod vas ipsum dicis neque nouum Testamentum esse, neque tesseram noui testamenti, in eo me tibi assentiri. Quis enim hoc vnquam dixit aut dixerit? sed quod inde concludis planè inficior, nempe nihil hic præter ipsum sanguinem demonstrari. Etenim si nullum signum hic est neque rei significatæ ἀντίτυπον, nullum est Sacramentum. Quòd si signum hic aliquod esse

dixeris, quæram nimirum cur nulla sit eius Christo facta mentio. Denique scito non deesse editum istic exemplar, ac etiam manu scriptum Cypriani apud quem Epist. 63. totidem verbis legatur. *Hoc est sanguis meus*, quomodo verte da esse græca illa contendo.

Accedo ad tertium accusationis tuæ ca longe grauissimum, nempe *quod in his Lucæ his*, τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, *ausus sim eum solœcismi cusare, quasi dictum oportuerit* τῷ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχ μένῳ: *& contra omnium exemplarium fidem con terim. Hoc poculum est nouum testamentum in guine meo qui pro vobis effunditur.*

At ego rursum quæro qua conscientia ha me scripseris. Fateor me ita (vt tu dicis) c uertisse, sed an textum ipsum Lucæ corrupi non potius testatus τὸ ἐκχυνόμενον in om bus nostris exemplaribus scribi, &, allatis n coniecturis, omnia lectori salua & integra qui? Hoccineverò est agere quod librorum ruptores solent? Quid si protulissem cod cuiusdam manuscripti mei Græcolatini lec nem, adeò vetusti, vt ipsius Irenæi fuisse vi possit? Est autem in monasterio quod Irena citur Lugduni repertum, in quo totum il quod apud Lucam de poculo dicitur poster loco, non inuenitur. Tibíne verò impium blasphemũ nõ videtur dicere in Luca esse so cophanes aliquod, quũ Hebraicè potius q Græcè sacri illi scriptores sæpe loquantur blitúsne es illã duram Hieronymi vocẽ, Pe solœcismos loquitur? Atqui meæ coniectur

incli

inclinant, vt potius quàm solœcophanes sit à Luca admissum, vel hanc particulam τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον ex alijs Euangelistis insertam esse in Lucæ contextum contendam, vel casum perperam à librarijs, quanuis consentiant exemplaria, mutatum. Illius coniecturæ hanc rationem habui, quòd apud Paulum, qui probabiliter putatur hunc ex Luca locum totum desumpsisse, illa particula tota omittitur: quæ ratio maximi est momenti, quanuis à te negligatur. Cur enim Apostolus hoc præterijsset? & vel vnica oratio Dominica qualis in veteribus codicibus apud Lucam legebatur, ostendit multa ex Euangelistis fuisse (nulla tamen sensus iniuria) interiecta, quæ probabile tamen est ex albo libri in ipsum contextum irrepsisse. Adieci alterius scripturæ nempe τῷ ἐκχυνομένῳ testem locupletissimum Basilium cui τὰ ἀξιόπιστα attribuuntur, qua in re quum me dicis aut falli, aut impudentissimè fallere, audeo multò verius dicere, te potius omnem pudorem exuisse. *Non enim*, inquis, *Basilius sic asserit legi in Euangelio, sed textus Euangelici textum explanat.* Audi accerrime censor, Aio te vel Basilij locum non inspexisse (extat autem in Ethicis ὅρῳ κα.) vel omnium hominum in hac mei criminatione impudentiam superare, quum in toto illo libello, exceptis quæstionibus ad quas singulis definitionibus ex mero Dei verbo respondetur, ne vocula quidem nedum explicatio aliqua ipsius Basilii, vel scriptoris illius, quicunque tandem fuerit, inueniatur. Negas? librum saltem inspice vt te tui pudeat. Cur verò sit solœcophanes si recepta lectio

seruetur, idcirco dixi, quod τὸ ποτήριον siue pro ipso vase, siue pro vino intus contento dici non possit pro nobis effusum. *Imò*, inquis, *poculum effusum pro nobis denotat sanguinem qui in poculo pro nobis effunditur.* Saltem verò potius infusum dixisses. Quin enim hoc dicatur de illo ipso sanguine pro nobis in cruce fuso, ambigi à sanis hominibus non potest, à te fortasse potest: qui tot locis & momentis creari sanguinem propter acceptum censes, quot locis illa vestra sacra peragitis. Nam sic quoque Cyprianum de veracissimo corpore Christi verbũ Creãdi fatcor vsurpare, sed sensu à tua transsubstãtiatione multũ diuerso. Sed dic, quæso, bona fide, si iam tum in illo poculo ipsamet illius sanguinis materia & substantia continebatur, certè intra venas ipsius Christi nõ erat. Bis itaque fuerit effusus, ac proinde bis passus Christus, semel in institutione Eucharistiæ, ac denuò postridie in cruce: & hic certè infusum potius quàm effusum dicere debuisti. Denique ponamus id verissimum esse quod tu ais, potio, inquã, illa fuerit ille ipse sanguis. Igitur pro *Hoc poculum* substituamus, *Hic sanguis* quid erit absurdius hac ratione *Hic sanguis est nouum testamentum in sanguine meo?* nisi vis fortasse repetitum esse antecedens pro referente pronomine, ex Hebræorum idiotismo. Et rursum quid ineptius est quàm Testamentum propriè & sine tropo dici velle testatoris sanguinem, aut id quo fœdus sanciatur? Nec enim ignoras Hieronymo in Epistolam ad Galat. magis placere pacti seu fœderis nomen.

Accedis postea ad vocem ipsam τὸ ποτήριον quam *ineptè dicis à Caluino & à me pro vasculo ac*

*cipi, vt inducendæ metonymiæ rimam inueniamus, & transſubſtantiationem magis ineptam reddamus, quaſi vaſculum aſſeramus in ſanguinem conuerti: quum tamen nemo neſciat τὸ ποτήριον Græcè, & poculũ Latinè, tam potum complecti quàm vaſculum, quamobrem etiam Paulus & Lucas ne erraremus, addũt. Quod pro vobis effunditur, ſicut etiam Ioan. 18, 11. eadem vox accipitur*

Atqui (quod obiter hîc dictum ſit) rurſus hîc te oſtendis codicem non inſpexiſſe. Neque enim apud Paulum iſtud poſtremũ inuenies. Sed hoc eſt duntaxat ἀμαρτάνειν μνημονικῶν. Ad rem autem ipſam quod attinet, non ita certè ineptijmus vt tu ſomnias. Nuſquam enim diximus τὸ ποτήριον hîc accipi pro vaſculo per ſe. Sed hoc diximus & dicimus, cogi vos ad alterutrum iſtorũ duorum, nempe vel tranſſubſtantiatum ipſum poculum dicere, vel per metonymiam continẽs pro contento accipere. Nam vt in omnes partes te conuertas, & omnes Grammaticos conſulas, nunquam probaueris τὸ ποτήριον Græcè, ſiue poculum Latinè (quæ nomina ſunt περιεκτικὰ) rem contentam propriè ſignificare. Nec rurſum vnquam euades extremæ peruicaciæ crimen, ſi cõtenderis potionem poculo contentam, quæcunque tandem illa ſit, vel fœdus ipſum, vel confœderationis actum, vt ita loquar, declarare. Si hoc non agnoſcis, age, nega etiam Solem meridie nondum exortum.

*Poſtremò*, inquis, *Beza contra morem ſuum abſtinuit ab exprimendis articulis ne cogeretur fateri quòd ex emphaſi & excellentia denotata, verũ Chriſti corpus, & verus ſanguis demonſtretur.* Quaſi

verò aliud in hoc myſterio corpus, quàm illud ipſum traditũ pro nobis, aut aliũ ſanguinẽ quàm illum ipſum pro nobis effuſum ponere mihi vnquam in mentem venerit. Sed tu nimirum excludi putas à nobis quicquid eo loco non eſt ſitum vbi nos verſamur. Sed quod ad articulos attinet, ſi illos non expreſſiſſe flagitium eſt, quis eſt potius quàm veſtri Canonis interpres accuſandus? Quanquam hîc rurſum in manifeſta calumnia deprehenderis. Sum enim interpretatus ἡ καινὴ διαθήκη Nouum illud teſtamentum, vt tui pſe alibi agnoſcis, nempe vt à vetere nouum iſtud appoſito articulo Euangeliſtam diſtinguere voluiſſe oſtenderem, quod cur in corporis vel ſanguinis vocibus facerem cauſam nullam iuſtam habui, vt iampridẽ improbo illi Illyrico reſpondi, ex quo mirum eſt excerpere te iſtas rãcidas calumnias, quàm culpa carere maluiſſe.

*Et hactenus*, inquis, *de corruptelis illatis Euangeliſtarum textui*, &c. At tu (ſi placet) nunc audi quæ tibi ſic obiiciam vt illa negare nullo modo poſsis. Dico igitur veſtri illius Canonis authorem, à cuius ſyllabis pendere miſeras tot hominum mentes iubetis, hæc addidiſſe Euangeliſtarum textui & literæ in priore parte, *Eleuatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem ſuum omnipotentẽ.* Et iterum duorum iſtorum,

*Gratias agens benedixit* Et
*ex hoc omnes.* In altera verò parte,
*Hunc præclarum calicem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas.*
*& æterni teſtamenti myſterium fidei.*

vt taceam de vocabulo μοῦ, id eſt, *Meus* in *Mei*

conuerſa

conuersa qua de re vester Bielus valde laborans tandem in hanc vocem erumpit, *Magis videtur*, inquit, *quòd forma præfata verborum quàm seruat Ecclesia, fuit forma tradita à Domino, quàm alia posita in Euangelijs, quæ post scripta sunt & narrata secundum diuersitatem traditionum & translationum*: NEQVE IPSI EVANGELISTAE IN FORMA CONVENIVNT. Aut igitur (boni magistri nostri) istum vt hæreticum damnate, aut nos nihil istorum ausos absolute, aut tantam in singulis voculis vim verborũ vrgere, aut denique tantum per omnia Euangelistarum in verbis institutionis consensum (nã alioqui summam in re ipsa consentionem esse minimè dubitamus) iactare desinite.

Postea polliceris te de verborum significatione & reipsa dicturũ ac imprimis quæris quid detur. *Si consulas*, inquis, *sensus externos, non poterunt aliud respondere, quàm dedisse Christum discipulis suis panem & vinum: Sed non est actio muta, & declarauit Christus disertis verbis mentem suam his verbis, accipite, edite, Hoc est corpus meũ, quod pro vobis datur.* Idem probas postea *à communi hominũ de verborũ significatione iudicio, & scripturarum communi loquendi vsu, & Christi apud Ioannem facto promisso de carne sua in esum præbenda.*

Quorsum autem aut aduersum quos istã? nempe aduersus eos qui verum & vnicum illud Christi corpus negarent nobis in Cœna tradi, ex quo numero quum tu ipse Caluinum expungas, vt quiminimè ferat eos qui dicãt figuram tantùm corporis à Christo nobis in Cœna dari, tu quidem certè præuaricaris *Verum*, inquis, *nec dici-*

*tur, Hæc eſt efficacia ſola, aut fructus, aut quid aliud corporis mei, vt valeat Caluini opinio.* Quaſi verò centies millies hoc non ſit à nobis inculcatum, cauſarum ordine prius oportere nos cum ipſo Chriſto vnum fieri, ſiue Chriſtum ipſum participare, quàm ex ipſo quæ ipſi vt ſubiecto inſunt, id eſt, omnia ad ſalutem neceſſaria, hauriamus. Tu verò ſicut Sophiſtam decuit, quæſtiones permiſces. Aliud enim eſt quærere. Quid detur, quàm quomodo detur: item quod datur, quo obiecto percipiendum detur. Dari nobis reuera verum illud corpus traditum pro nobis. Chriſto id aſſerenti planè credimus, ſed dari quomodo panis & vinum res naturales & reipſa ſitu loci præſentes (nimirum in manus) conſueuerunt, aut ore corporis percipi, id verò inficiamur. Id enim merè ſpirituali cæleſtique modo fieri, & mentis non ventris opus eſſe illam perceptionē dicimus. Negamus etiam idcirco nos Chriſto vel per verbum ſimplex, vel per Sacramenta incorporari, vt realiter corporum ſubſtantiæ ſeſe mutuò coniungentes, non myſticum ſed monſtroſiſſimum corpus reale conflent, ſed vt vitæ ſuccum cum cæteris donis ex Chriſto hauriamus. De his igitur quæſtionibus controuerſis, non de illa prima (de qua quantùm intelligere, poſſum inter nos conuenit) laborare te oportuit. Falſum eſt ergo, vna ſaltem ex parte quod dicis, *primam inter nos eſſe controuerſiam quodnam ſuum corpus Chriſtus à ſe tradi intellexerit, & in qua re ipſum nobis porrexerit.* Nā etiamſi dicimus corpus non niſi ſacramentali metonymia de pane illo dici, ac proinde id quod in manus datur

quum

quum dicitur corpus non esse illud ipsum reale corpus, sed ipsius duntaxat realis corporis Sacramentum: tamen non consequitur ita nos insanire, vt plura corpora Christo tribuamus. Quod si vnicum est Christi corpus, vt certè est, cuius amentiæ quæso fuerit, quod Christi corpus nobis in Cœna detur disceptare? per illa quoque *in quare* si signorum duntaxat externorum adhibitionē,& per verbum *porrigendi* spiritualem ipsam præbitionem intelligis,rursum tibi assentimur. Sin verò externam in manus vel in os traditionem corporis intra ipsa signa contenti sic significas, hac in re planè à te dissentimus.

Subiicis *quadruplici significatione legi Christi corpus in scripturis: primum pro corpore naturali nato de Maria virgine: deinde pro corpore mystico siue fidelium cœtu: tertio pro veritate Euangelij antiquis vmbris respondente. Adde quartum*,inquis, *si placet, pro qualitate & proprietate corporis Dominici:aut gratia & merito ab eodē corpore effluēte, quæ significatio licet naturalis corporis significatione includatur, attamen eam per me liceat distinguere. Eo sensu Apostolus negat iam cognosci Christum secundum carnem: eôdem pleriſque videtur apud Ioannem commēdari cibus & esus carnis Dominicæ.*

Imò plenius multò & enucleatius corporis appellationem distinguimus. Nam corpus illud naturale interdum declarat totam humanam naturam à verbo assumptam: interdum alteram tantùm eius partem, corpoream videlicet ab anima distinctam: interdum etiam huius corporeæ partis alteram seorsum à sanguine, cogita-

tione seiunctam, quæ significationes etiam Carnis voci tribuuntur. Est autem nominatim obseruanda vltima illa significatio ad, refellendum veltræ concomitantiæ commentum, quo sacrilegium illud ingens, ereptam videlicet populo alteram Eucharistiæ partem, obtegere consueuistis. Sed & in ea significatione quam quartam cõstituis plurimùm peccas. Primùm in eo quòd qualitatem & proprietatem corporis Domini eandem facis, deinde quòd hæc eadem esse vis atque gratiam & meritum ex Christi carne effluens, itémque quòd vtranque hanc significationem dicis naturali corporis acceptione includi. Nam quod ad primum istorum attinet, si indefinitè qualitas corporis naturalis est eiusdem proprietas, efficietur mutatione qualitatis corpus exuere corporis naturam, quum sua proprietate quæuis natura constituatur. Neque hoc temerè dico. Nam hoc tuum figmentum eò spectat, vt corpus illud naturale doceas corpus esse non desinere, etiamsi proprietas corporis, id est, loci circunscriptio ei adimatur: quò etiam illum Pauli locum detorques, quòd Christum amplius non cognouerimus secundũ carnem. At nos qualitates accidentales, tũ naturales & inseparabiles tũ per peccatũ (peccato tamẽ excepto) inuectas à proprietatib⁹ distinguimus. Illas enim in Christo nostro capite per Resurrectionem & Assensionem in statum infinitè excellentiorẽ commutatas, alteras prorsus abolitas, istas in æternũ retentas dicimus. Deinde qua tandẽ ratione, quæso, gratiam & merita & quæ ex ipso Christo dona haurimus. cum illa siue proprietate siue qualitate

litate cõfuderis? & rursum ἀσύγκρατα loqueris quũ corpus naturale dicis hęc intra se includere, quũ tamen existimes hæc posse absque ipsius corporis perceptione percipi, sicuti non negas plerisq; videri accipiendum carnis esum & sanguinis potum apud Ioannem. Nos igitur hanc significationem facimus quintam, & à prima quidem distinguimus vt ab antecedente consequens, nunquam autem separamus. Sed videamus quomodo hęc in nos contorqueas. *Sacramentarij* (inquis, quam vocem libenter amplectimur) *ad funditus abolendam Eucharistiam & resistendum Dei verbo expresso, in duobus peccant.* Super his conuitijs Deus inter te & nos iudicet. *Nam quum in Cœna aiũt Edere corpꝰ Christi nihil aliud esse quàm Christo vniri per fidem & fieri membrum corporis eius, tum corpus capiant oportet pro mystico & non naturali.* Imò te oportet mentis compotẽ non fuisse, quum hæc in nos scribere te non puderet. Etenim qui sentiunt ex esu & spirituali apprehensione ipsius Christi pendere corporis mystici Christi constitutionẽ, siue fideles edendo Christi corpus, euadere corpus Christi mysticum, quomodo dici possunt sentire corpus Christi quod edunt, illud ipsum esse quod ex illo esu efficitur? Deinde Edere Christi corpus nõ dicimꝰ idem esse atque vniri Christo, sed ita significari sacramentali loquutione, fideles ritè vtentes panis & vini illius esu, sibi Christum magis ac magis adiungere, vt fiant os ex ossibus eius & caro ex carne eius. Aliud autem est ipsa actio, quàm quod illam consequitur. Sed alterum errorem audiamus. *Rursum*, inquis, *quum verba*

*Christi de Cœna explicant, nouum significatum nusquam in scripturis repertum imponunt corpori Christi, & suadent pro figura siue pro Sacramẽto & signo corporis accipi: quum nusquam in Scripturis corpus Christi absolutè positum occurrat nisi pro substantiali & naturali.* Respondeo rursum, quum panis ille dicitur à nobis esse symbolum corporis Christi siue sacramentaliter esse corpus Christi non aliud corpus à nobis quàm illud verum & naturale intelligi: neque hîc controuerti quódnam corpus dicatur esse panis, sed quo sensu potius ille dicatur esse verum illud corpus, reipsa videlicet & ipsa panis existentia, aut substantia panis in substantiam corporis transmutata, an verò sacramentaliter duntaxat, siue propter vsum sacramentalem, sicut res naturales ad res prorsus alias quàm natura & substanstantia ipsarum ferat, significandas, ex pacto siue institutione Dei vel hominum, accommodãtur. Sic exempli gratia, vox illa *Agnus* propriè animal illud quadrupes & lanigerum declarans, si ad Christum significandum adhibeatur, vt si dixero Pauli vestigia sequutus & agnum paschatis intelligens. *Agnus paschatis erat Christus*, neque in Agno subiecto, neque in Christo attributo vlla fuerit significationis mutatio: sed Agnus ille verus non fictitius, non reali sed sacramẽtali attributione Christus ille verus fuisse intelligetur. Hinc apud veteres Theologos non duplex vnius Christi corpus, sed duplex erit istius vocis *Corpus* acceptio: vna videlicet qua in sese cõsideratur naturale illud & essentiale corpus

p⁹ quod ꝓ nobis in cruce pependit: altera verò quatenus relatè illud ipſum ſpectatur, ſiue quatenus de pane illo dicitur, velut quum corpus Chriſti creari, in terrā cadere, conſumi dicitur, ſicut ex Patrū penè omnium diſertis verbis ſuo loco demonſtrabitur. Ac ne longius abeam, quū veſter Lombardus contēdit in Euchariſtia corpus eſſe & rem Sacramenti & ſignum, id eſt, & rem ſignificatam & rem ſignificantem, etiamſi (perperam id quidem ac prorſus ineptè) velitis eſſe corpus ſui ipſius ſignum, tamen agnoſcere cogimini quod hīc in nobis reprehendis, nempe Corpus quoque pro ſigno in Euchariſtia intelligi. Nec te, quæſo, iſtarum ineptiarum vnquā pudebit? Nam ne id quidē quod tu ais nuſquam corpus Chriſti abſolutè poſitū niſi pro naturali Chriſti corpore ſumi ſi *Abſolutè* & *Relatè* abs te opponuntur, in nos dicitur. Sed & iſta quàm abſurdè ſcribis? *panem quidē ſæpe inueniri pro Chriſti corpore, vt in illis Ieremiæ verbis, Mittamus panem in lignum eius, & ſæpe apud Ioannem: ſed nuſquam legi corpus Chriſti pro pane.* Nam (vt omittā illam nō literalem ſed allegoricam loci Ieremiæ interpretationem, planè indignam quæ à te reponeretur quanuis à veteribus non vno loco ſit inculcata) quoties panis dicitur corpus, annon toties corpus dicitur panis, ſi identicæ ſunt illæ enuntiationes, quales omnes illas eſſe vultis? Imò etiam in attributione ſacramentali, quanuis non identica, ſicut ſigno attribuitur (teſtibus Theodorito & Auguſtino) rei ſignicatæ nomen: ita quoque reciprocè rei ſigni-

ficatę tribuitur ſigni nomen vt tam dicere liceat *Chriſtus erat illa petra, Chriſtus erat Paſcha, Chriſtus eſt ille panis* quàm *petra erat Chriſtus, Paſcha erat Chriſtus, Panis ille eſt Chriſti corpus.*

Vrges poſtea illam adiunctionem. *Quod pro vobis datur, & qui pro vobis effunditur*, vt doceas de vero & naturali corpore & ſanguine accipiẽda inſtitutionis verba. Concedo, ſed ita vt ſacramentaliter attribuantur, quam attributionem antea oſtẽdi nullam in rẽ ipſam quæ attribuitur mutationem inuehere.

Magnos poſtea clamores excitas de articulis à me prętermiſsis, quod ex Illyrrici fœtida cloaca hauſiſti. Velles igitur, ſicuti me apud Lucam & Paulum conuertiſſe fateris. *Hoc poculum eſt nouum illud Teſtamentum*, ita etiam me interpretatum eſſe *Hoc eſt corpus illud meum*, & *Hic eſt meus ille ſanguis*,

At enim ſi articuli hoc loco non exprimi ſine tanto piaculo non potuerunt, cur non potius illum veſtrum ſanctiſsimum interpretem à Conciliabulo Tridentino, cæteris expunctis, comprobatum flagellas? imò cur in veſtrum illum ſacratiſsimum Canonem non inſurgis? Res autem ita habet. Articulos credidi & adhuc credo non ſemper neceſſariò exprimendos excellentiæ ſignificandæ cauſa, & idcirco non vbique expreſsi: quod ad διάκρισιν autem attinet, nunquam facilè prætermiſi: ideóque non imprudens (vt tu calumniaris) neque quòd ad noſtram hæreſim non faceret (vt tu conuitiaris) articulum adiunctum Teſtamenti vocabulo expreſsi apud Lucam & Paulum, ſed vt vnum teſtamentum

ſtamentum ab altero ſic diſcerni indicarẽ: quod in alteris illis de corpore & ſanguine enuntiationibus neceſſe non fuit, quoniam ſufficit ad diſcrimen ſignificandum illa adiunctio, *Quod pro vobis datur*, & *Qui pro vobis effunditur*, tantùm abeſt vt iſtarum adiunctionum vim & pondus non animaduerterim. Quæ verò ſubiicis de articulis quoties pronominibus demonſtrantibus ſubiiciuntur, vt ſic euincas per τοῦτο non poſſe aliud demonſtratũ videri quàm hoc ipſum corpus, ita ridiculum eſt vt ne refutatione quidem egeat quam tamen ſi quis requirat, ex noſtra aduerſus impurum illum Illyricum apologia petat licebit. Denique vt ſemel de hoc tranſigã, quum ex articulorum expreſſione effici velis non poſſe corporis vocem aliter quàm de vero illo corpore pro nobis tradito intelligi, habes reum confitentem, at non tamen erroris conuictum, niſi ſi tutemet in eodem verſaris errore.

Sed hæc tua conſequutio falſiſsima eſt, *Si proprium corpus ſignificatur, orationem quoque iſtam, Hoc eſt corpus meum, propriam eſſe ac minimè tranſlatitiam.*

Quid enim obſtat quominus in eiuſmodi enuntiationibus non modo attributum ſed etiã ſubiectum, nedum eorum alterum, propria natiuáq; ſignificatione accipiatur, & tamẽ tranſlatitia ſit oratio, qua vnum de altero dicitur? Neq; enim ex attributi duntaxat aut ſubiecti aut alterius iſtorum ſignificatione, ſed etiam ex ipſa attributionis natura, diiudicandum eſt, toráne ipſa enuntiatio figuratè ſit an propriè accipienda. Sumamus ſi videtur hoc exemplum *petra illa*

*erat Christus.* Hîc dico petram propriè significare rupem illam naturalem, siue naturalem fluuium inde profluentem, Christi autem appellatione non aliũ quàm ipsummet Christũ nobis in Eucharistia propositũ declarari, quũ idem illorũ potus fuerit qui noster. Dicitur tamen non substãtialiter sed typicè Christus naturalis de petra naturali, quũ teipso iudice petra nõ sit transsubstãtiata, petra verò & Christ⁹ sint disparata, vt vnũ ꝓpriè de altero dici nequeat. Sic Circuncisio realis est reale fœdus, sed sacramẽtaliter significans. i. quia fœderis realis signũ est. Sic Christus ipsemet erat illud ipsum Pascha, sed sacramẽtali significatu nõ propriè. Sic verus Christi sanguis dicitur de vero vino, sed sacramẽtali metonymia. Denique tam frequentes hæ loquutiones translatitiæ quàm alteræ propriæ occurrunt.

Ex hoc etiam liquet quàm impudenter & inscienter in nos torqueas quod in Marcionẽ scribit Tertullianus. Verba Tertulliani hæc sunt integra nec decurtata, sicut à te versutè proferuntur. *Christus acceptum panem & distributum discipulis corpus suum illud fecit, dicendo Hoc est corpus meum, id est, figura corporis mei. Figura autem non fuisset, nisi veritatis fuisset corpus. Cæterum* (id est, Tertulliani idiotismo, quoniam) *vacua res quod est phantasma, figuram capere non posset.* Confutat hîc eruditissimus sed obscuris argutiis plenus scriptor, delirium Marcionis, non verum sed phantasticum siue imaginarium corpus Christi asserentis: & sic argumentatur. Panis ille quem Dominus corporis sui figuram effecit, dicens, hoc est corpus meum, figura est corporis. Ergo corpus Christi verum est corpus, non ima-

ginarium, Nam figura nulla esse queat rei merè imaginariæ. Et ne regerere posset Marcion voluisse Christum figuram visibilem & verè corpoream imaginario & non existenti corpori illi suo affingere, excipit Tertullianus. Si propterea Christus panē corpus sibi finxit, quia corpus carebat veritate, ergo panē debuit tradere pro nobis. Faciebat enim ad vanitatē Marcionis vt panis crucifigeretur. Id est plurimū faceret ad cōmentū Marcionis stabiliendū, vt spectrū illud in cruce potissimū panis substātia regeretur, ac sic panis traderetur & crucifigeretur p nobis. Subicit deniq; Tertullianus hæretico iā cōuicto insultans, *Cur autem panem corpus suum appellat, & non magis peponem quem Marcion cordis loco habuit, non intelligens veterem fuisse figuram?* Nam pepones, prouerbiali dicendi genere, dicuntur vecordes & stolidi, etiam apud Homerum. Dicit ergo irridens Marcionem Tertullianus, tam potuisse peponis quàm panis figuram Christum illi corpori suo phantastico affingere, quod fuisset ipsi Marcionis ingenio conuenientius. Addit demū in eo quòd panem potius, quàm aliud aliquid delegerit vt corpus suum figuraret, impleuisse Deum quod iam olim prædixerat per Ieremiam quo tamen testimonio (quod sine tanti viri contumelia dixerim) planè abutitur. Hæc igitur ille, quæ quum in nos citares, quis te non animaduertat iusto Dei iudicio fuisse excæcatum? Nam vt hæc argumenta sibi constent, primùm oportet panem manere panem, quoniam alioqui retorto argumento dixisset Marcion, non esse panem sed mera accidētia qui panis esse videbatur

Deinde corpus audis exponi corporis veri figurã quum pani attribuitur in his ipſis verbis, Hoc eſt corpus meum, contra id quod paulò antè dicebas in Scripturis non inueniri. Audis etiam veritatem corporis eo aſtrui quòd vera & ſubſtantiali figura repræſentetur, vt ſublata panis ſubſtantia efficiatur corporis quoq; veritatem in Sacramento deſtrui. Et quinam, obſecro, palàm Marcioniſant? Annon vos qui panis ſubſtantiam, ſolis manentibus ſine ſubiecto accidentibus, in nihilum redigi & in corpus non quantum tranſmutari ſomniatis? & ad tegendum realis σαρκοφαγίας horrorem, accidentibus panis & vini tegi quaſi figura & ve-lamento reale Chriſti corpus docetis? quod delirium ne Marcion quidem ille præſtigiator, opinor, toleraſſet. Sed illud planè omnem impudentiam ſuperat quòd pro verbis Tertulliani quibus contendit quod propheticè prædixerat Ieremias, panem dicens in lignum mittendum, reipſa impletum quum Chriſtus iam crucifigendus & Euchariſtiã inſtituens corpori ſuo nomen panis inderet: pro verbis, inquã, illis Tertulliani perſpicuis (quibus non panem in verum corpus mutatum, ſed è contrario corpori ſuo nouam panis appellationem inditam ſignificat quoniam panis ſit corporis illius figura ſeu Sacramentum) ſubſtituis, *intelligens figuras præteriiſſe* quo nihil dici minus ad Tertulliani conſilium appoſitè potuit.

Pergis poſtea &, inquis, *Alluſit Chriſtus ad veteres hoſtias quæ reuera ad edendum tradebantur ſicuti reuera offerebantur: quamobrem ſignificatur tam verè exhiberi Chriſti corpus ad eſum, quam verè pro*

*rè pro nobis est oblatum.* Item, *in mensa sacrificiorum eadem caro recuera apponebatur in esum, quæ offerebatur in sacrificium. Ergo idem Christi corpus tam verè præbetur à Christo in edulium, quàm est sacrificatum in cruce.* Concedimus hæc omnia, nec magis nobis prodesse crucifixam quidē, sed spiritualiter & fide non comesam carnem Domini dicimus, quàm appositas dapes quibus tamen non vescaris: neque de carnis magis quàm de signorum panis &, vini veritate, & licet spirituali, vera tamen perceptione dubitamus. Sed quemadmodum aliud est cibus significās ideóque corporis sensibus præbitus, quàm cibus significatus, ideóque menti & fidei porrectus, idcirco illorum quidem corporalem, istius verò spiritualem præsentiæ, dationis, & receptionis modum per fidem statuimus: sic ferente & ipsa rerum ac signorum corporalium natura & corporis Christi veritate, fideique analogia & spirituali sacramentalis ritus fine.

Reponis postea nobis rancidum hoc argumētum. *Si omnia ferè vocabula contenta in Cœnæ historia propriè & de externis actionibus à vobis ipsis accipiuntur, vt panis, vinū, accepit, fregit, dedit, accipite, comedite, bibite: cur quæ sunt potissima, ideſt, ipsa demōstratio rei quæ traditur, à suo genuino significatu transferetur?* Quæro ego verò primùm cur particula ferè à te adiciatur. Certè si verū fateri sustines, hoc adiecisti propter verbū *fregit*, qđ vel inuitus cogeris fateri, ex proprietate panis ad corpus sic translatū, vt tamē ipsummet nō frangatur. ne sitis scilicet illis ipsis carnificib⁹ Christi immaniores. Atqui ne sic quidē elabimini. Nam præ-

terquam quod accidentia diuidi nisi ipsius substantiæ subiectæ ratione non possunt, dic, quæso vtrũ minus conuenit carni Christi, an in aliquot frusta diuidi, an verò minutatim infixis etiam (vt velter Nicolaus loquitur) ipsi carni reali realiter dentibus, sub dentium mola comminui? quod scelus vt vitaret ὄνος ille συλλογιζόμενος, cuius stercora tu studiosè collecta nũc depascere velle videris, maluit solidum corpus vorari. Nec vos istorum saltem deliriorum vnquã pudebit? Sed ad rem. In Sacramentis aliud videri, aliud intelligi negare non potes Signum quoq; fatearis oportet illud esse quod sensibus externis obiectum facit vt aliud quàm quod natura est in mentem veniat. Hoc, inquam, est discrimen specificum, quo omnia signa etiam Sacramenta, à rebus significatis differunt. Túne verò corporis & animi actiones confuderis? Quod hîc autem videtur, certè oculis videtur: quod autem intelligitur, mente intelligitur. Quid si verò vtrique actioni significandæ vnum & idem verbum adhibeam? Nam & videre oculus & animus quoq; dicitur, sed ille quidem propriè, hic verò translatitiè. At quod de vno sensu de cæteris quoque eadem ratione dici vsque adeò consueuit, vt vix vsitatior sit propria, quàm translatitia significatio. Nam & gustare, & olfacere, & accipere & pungi dicitur animus. Quid si igitur, inquam (vt in hac narratione factum est) vno eodémque verbo & id quod corpore geritur, & id quod mente intellectũ apprehẽditur significaro? nempe propriè simul & translatitiè diuerso respectu, eandem vocem vsurpauero. Sic igitur concludo.

Quum

Quum vt sua Sacramentis constet ratio, etiamsi duæ res extantes præbeantur, tamen earum vna corporis sensibus, altera menti fide præditæ obiiciatur, institutionis verba ita cõcepta sint vt vnis iisdémque vocibus præcipuè corporeis rebus conuenientibus cuiusmodi sunt Frangere Dare, Accipere, Comedere, Bibere, vtrunque declaretur, illud quoque necessariò consequi, vt eædem voces, quum ad signa in sensus incurrẽtia & corpoream actionem referuntur, propriè intelligantur: quum autem ad res significatas & fidei actionem accommodantur, translatitiè accipiantur. Cur verò vnis & iisdem vocibus rebus corporeis conuenientibus, intellectuale etiam arcanum illud significetur, causa duplex est. Vna quòd Sacramenta corporea idcirco sint instituta vt à corporeis ad spiritualia, sic natura nostra ferẽte, assurgamus. Sic enim etiam inuisibilia Dei in rebus aspectabilibus ordinario modo docemur contemplari, & ipsi Philosophi docẽt prius in phantasia esse oportere quæ intellectu percipimus. Altera causa est (vt inquit Theodoretus) quòd ista cõmutatione vocũ, docemur nobis esse res illas corporeas Sacramentorum vsui dicatas, & sacramentales actiones contemplandas, non vt res naturales, sed quasi res illas ipsas spirituales, quarũ veluti sensibus ipsis præsentium conspectu fruamur,

Eadem ratione refellitur vestrum illud ἄλογον scilicet argumentum quod tam verbosè exponis *Mutua est inter Dationem & Receptionem conuenientia. Datio illa facta est Christi manibus in os & manus discipulorum, Ergo & receptio. Quod*

*autẽ fecit Christus faciunt & nunc ſacerdotes.* Sanè ita eſt. Itaque vt dantur ſigna corpori, ſic corpo-rerecipiũtur,& vt mẽti dantur res ſignificatæ ita mente fidei percipiuntur. Sed ſignorũ dationem cum diuerſæ rei receptione tum demũ iure comparaueris, quum id quod videtur, & id quod intelligitur in Sacramentis, rem vnam & eandem eſſe euicetis, id eſt, falſum eſſe, aliud in Sacramentis videri, aliud intelligi. Rides iſta fateor, ſed quæ quò magis ridebis, eò ſanè magis te deridendum propinabis.

Expendamus autem & tuum iſtud. *Quum negetis Chriſtum vobis amplius polliceri quam verbis inſtitutionis contineatur, & Cœna ipſa non plus eroget quàm conſtituentis verba teſtentur: ſi ipſa tantùm metaphoricum aut metonymicum Chriſti corpus ſiue nihil aliud quàm veri & naturalis corporis Sacramentum & ſignum enuntiant, nihil amplius ex Cœna reportatis.*

Reſpondeo corpus attributione metonymica (nam metaphoræ commentum tuum eſt) pani attributum, nõ eſſe aliud quàm verum illud corpus, quoniam attributio nihil in re ipſa variat quæ attribuitur. Reſpondeo & iſtud, quum Sacramenta minimè inania ſint ſpectacula aut nuda μνημόσυνα, ſed (quod ad Deum quidem promittentem attinet) nunquam ſignum abſque re ſignificata præbeatur, ineptiſſimam eſſe conſequutionem quam nectis. Dico poſtremò vos eos eſſe ex quorum Cœna nihil reportetur. Accidẽtia enim ſine ſubiecto, & corpus quantitatis expers, quid aliud ſunt quàm renatum Marcionis phantaſma?

Progrederis

Progrederis deinceps ad alteram vocabuli Testamenti significationem pro pacto seu fœdere, ex qua etiam conuincere nos studes violati diuini pacti, nisi reipsa ore comedi corpus ipsum Domini & bibi eius sanguinem fateamur, ac primùm sic definis illud fœdus de quo agitur vt dicas *esse pactum quod Deus contraxit cum hominibus vt ipse promissa faciat, hi verò debitam præstent eius mandatis obedientiam, ex illis Exodi verbis, Omnia quæcunque fecit Dominus faciemus & erimus obedientes.* Nos verò didicimus præsertim ex Paulo, duplex esse pactum Dei cum hominibus, Vnum legale qđ est ad mortẽ, vt pote quod conditionem contineat impossibilem præstandę legis quàm perfectissimè. alterũ Euangelij quo gratis in Christo reconciliati seruamur: Hoc autem fœdus partim vetus dicitur, sub quo videlicet Patres in Christum venturum & obscurè adumbratum respicientes seruabantur: partim nouum appellatur, in quo nobis Christus verè exhibitus, reipsa præstitis quæ ad reconciliationem nostram requirebantur, fide amplectendus præbetur. At tu contrà neque vetus neque nouum istud, sed legale nobis pactum definis. Vtriusque autem fœderis tum legalis ad mortẽ, tum alterius ad vitam, tessera fuit diuersis respectibus lex cæremonialis, vtpote quæ & chirographum fuerit mortis, & Christum simul cum omnibus ipsius beneficiis veteri populo adumbrarit. Sic igitur de vtroque illo fœdere sentire & loqui ex Dei verbo didicimus. Quoniam autem inter vetera Sacramenta tibi visum est tria seligere, nempe sanguinem, agnum pascha-

lem & victimam illam fœderatam cuius sanguine partim altare partim populum Moses aspersit, age videamus quàm bellè ad tua illa, id est, ad oris esum ac potum, illa traducas. *Vetus testamentum*, inquis, *requisiuit verum sanguinem præsentem, Ergo itidem ad noui confectionem in Cœna verum & præsentem sanguinẽ adhibere necesse fuit.* Respondeo vt veterum Sacramentorum cum nostris comparatio (cuius ob causam illa vocantur ἀντίτυπα) ritè fiat, oportere signa cum signis non cum re per nostra Sacramenta significata comparare. Nam & illa vetera & nostra re paria imò eadem sunt, vtpote quæ, teste Apostolo 1. Corinth. 10. totáque ad Hebræos Epistola, eundem Christum, illa quidem venturum adumbrarint, ista verò exhibitum ostendant. Itaque re non possunt nisi κατάτι inter se conferri. Est igitur ista consentanea consequutio vestram illam panis & vini destructionem planè iugulans. Verus præsens sanguis adhibitus est in vetere fœdere sanciẽdo, sanguinis videlicet Christi symbolum, & Cœnæ Domini ἀντίτυπον. Ergo verũ quoq; vinũ præsens adhiberi Cœnæ oportet, eiusdẽ veri sanguinis Christi effusi Sacramẽtum illi ἀντιτύπῳ correspondens. Sic cataclysmi typũ cum nostri Baptismi aqua Petrus, sic Paulus maris transitũ cum Baptismi nostri ritu, Mannam cum illo pane quem frangimus, petrã fluuium effundentem, cum poculo ex quo bibimus confert, vt signis diuersa, quæ tamen re sint eadem esca & idem potus. Viden' igitur quàm ineptè veteris Sacramenti symbolum cum re noui Sacramenti conferas? Quid si hoc ipsum in te liberet

beret retorquere? Sicut ſanguis ille pecuinus erat veri illius Chriſti ſanguinis verum Sacramẽtum, quanuis reipſa minimè cum ſanguine pecuino realiter ſed fide tantùm præſentis, necdũ in rerum natura extantis: ita etiam quum myſterium re prorſus idem in Euchariſtia celebretur, vinũ nunc eſſe veri illius ſanguinis, nunc quidẽ in rerũ natura exiſtentis, ſed tamẽ ſola itidẽ fide efficaciſſimè præſentis, Sacramentũ? Sed & in eo valde falleris aut fallis, quòd vel ſanguine Chriſti vetus fœdus ſancitũ putes neceſſe eſt (vt ſanè fuit) vel inanes fuiſſe figuras patribus inſtitutas arbitreris, quaſi ipſis patribus nihil ſed nobis duntaxat Chriſtũ repręſentarint. Id autẽ ſentire non potes quin patres aut regno Dei excludas, aut abſq; Chriſti ipſius metcõmunione ſeruatos conſtituas, quod vtrunq; nefariũ eſſe arbitror.

Alterum argumentum à victimarum oblatione ſimul & eſu ſumis, vt concludas *quemadmodum in veteris teſtamenti ſanctione pars ſanguinis Deo fuit oblata, pars in populum ſparſa, & agni paſchalis pars ſanguinis applicabatur ædium poſtibus, agnus autem ipſe primùm Deo immolatus & oblatus populo edendus exhibebatur: ſic decuiſſe in nouo teſtamento fœderalem victimam, id eſt, Chriſtum partim offerri Deo, & partim populo, vt mutua fieret promiſſio, obſignatio, & obligatio. Idcirco ſanguinem Chriſti realiter externo ritu crucis exhiberi neceſſe fuiſſe, ac proinde externo quoque ritu Cœnæ eiuſmodi ſanguinem tam verè populo præberi quàm fuit oblatus Deo.*

Reſpondeo rurſum hîc à te vt in ſuperiore collatione peccari in eo quòd antitypum vetus

non cum nouo typo correſpondente, ſed cum re per vtrunque ſignificata non rectè comparas Fuit igitur primùm antitypi & noſtri Sacramenti talis ſic inſtituenda collatio vt omnia ad amuſſim quadrarent, Sicut victima Chriſtum adumbrans Deo prius immolata poſtea à populo edebatur: ſic panem quo Chriſti corpus pro nobis in ara crucis mactatum & Deo Patri oblatũ repræſentatur, à nobis edi ex ipſius Chriſti inſtitutione oportet. Item ſicut fœderalis illius victimæ ſanguine verum ſanguinem illum Chriſti adumbrante partim altare aſpergebatur, partim etiam populus: ſic vinum illud verum illum ſanguinem Chriſti, quo pro nobis aram crucis aſperſit, à nobis ex eius inſtituto bibi oportet. Deinde vtrumque tum antitypum vetus, tum Sacramentum noſtrum nouum cum ipſa re & veritate ſic fuit comparandum. Sicut in veteris fœderis obſignatione victima iugulata offerebatur Deo à ſacerdote, quo ritu vera illa Chriſti in ara crucis ab ipſomet facienda oblatio animis credentium repræſentabatur: ſic panis illius fractio & vini illius effuſio, factam illam à Chriſto cruentam in ara crucis oblationẽ quaſi oculis noſtris ſubiicit. Item vt illi ſub vetere fœdere, victimæ fœderalis ſanguine exterius aſperſi, & agni carnem edentes, ſimul ſpiritualiter per fidem intus Chriſti ventuti & paſſuri fiebant participes: ita & nos ſub nouo fœdere quod eſt veteris impletio, panem illum ritè edentes, veri illius Chriſti corporis pro nobis oblati, & vinum illud ritè bibentes, veri illius pro nobis effuſi ſanguinis per eundem ſpiritum eandémq;

démque fidem participes simus. Nihil ergo te ista comparatio ad corpoream illam & Cyclopicam σαρκοφαγίαν statuendam iuuat, quæ neque sub vetere neq; sub nouo fœdere locum habuit, sed spiritualem illam Christi κοινωνίαν qua & illi seruati sunt & nos seruamur, mirificè illustrat. Imò etiam eadem planè vestram illam detestandam & sacrilegam audaciam coarguit, qua sublato poculi vsu non minus in Deum & Ecclesiã peccastis, quàm si sanguinis aspersionem sustulisset Moses aut ipsius successores in cuius enim aspersionis locum (ad quam etiam alludit Petrus secundæ Epistolæ initio) vini potio est à Christo omnibus mandata. Bibite enim, inquit, ex eo omnes, Christo iam tum scelus illud, quod multis posteà seculis ausi estis, prædicente, ac simul etiam sic ostendente, eandem quidem fidem & eundem Christum patrum olim fuisse, & nostram nunc esse. (vidit enim Abraham diem Domini & gauisus est: & eandem escam ederunt & eundem potum biberunt, nec fuit vnquam extra Christi κοινωνίαν salus) sed tantò tamen significantiora, expressiora, efficaciora esse Sacramenta exhibiti quàm venturi Christi quantò plus est intus etiam rigari quàm foris aspergi. En inuictum tuum argumentum quo nos conuictos fuisse gloriaris.

Disputas posteà contra nos quòd dicamus *nouum fœdus non in Cœna, sed in ipso crucis patibulo conflatum* (sic enim loqueris) *quum sine sanguinis effusione non potuerit coalescere.*

In hac autem quam nobis tribuis sentẽtia rursum vel sciẽs fallis, vel imprudens falleris. Dici-

mus enim fœdus illud reconciliationis inter Deum & homines per Chriſtum vẽturum, mox poſt peccatum fuiſſe cum Adamo initũ,& deinceps cum Abrahamo, Iſaaco, & Iacobo expreſſius renouatum, cuius Sacramenta varia & multiplicia fuerunt, re cum noſtris eadem vt ſignis diuerſa: Patiũ autẽ illorum ſpiritui ac fidei præſentem fuiſſe tum Chriſtum ipſum, tum quæcunque pro nobis ſuo tempore erat impleturus, ac proinde quod ad ius attinet, fuiſſe illos tũ ipſi Chriſto naſcituro inſitos, tum reipſa in eo iuſtificatos ſanctificatos, & ſeruatos. Hoc idem fœdus ( in eo tamen diuerſum quòd Patribus venturus Chriſtus prænuntiabatur nobis verò Chriſtus præſens exhibitus eſt ) dicimus primùm Iudæis Iohannis Baptiſtæ miniſterio, quaſi tubæ præconio, promulgatum: deinde reipſa per os ipſiuſmet Chriſti cum iiſdem Iudæis primò initũ,ac eiuſdem fœderis teſſeras ac obſignationes duas ab eo inſtitutas, Baptiſmum & Euchariſtiã: cuius etiã fœderis conditiones ipſe mox in cruce reali ſui ſacrificio impleuerit. Apoſtolos deniq; duo humano generi fœdus iſtud promulgaſſe, quod itidẽ veri ipſorũ ſucceſſores quotidie addita illis Sacramentorũ obſignatione, faciunt. At tibi, homini ſcilicet acutiſſimo, idem valent Fœdus inire, Sãcire, Eius ſigillum inſtituere, Ipſum denique obſignare, quæ inſcitia certè pudenda eſt. Sed illa etiã multò eſt apertior, quòd quum rectè ſentias ſanguinem Chriſti illud ipſum eſſe in cuius effuſione fœdus ipſum poſitum eſt, tu tamen ſanguini, id eſt ei rei cuius interuentu facta eſt fœderalis illa reconci-

conciliatio, tribui posse putas absque tropo ipsius fœderis nomẽ. Atqui res ipsa clamat aliud esse natiua significatione sanguinem fœderis (sicut Moses loquitur de vetere signo, de re ipsa verò Matthæus & Marcus) quàm fœdus in sanguine, quod à Luca & Apostolo nonnisi per tropum tribui illi vino potuit. Neque negamus igitur vetus fœdus à Mose per aspersionem illius sanguinis symbolici, neque per Cœnam semel institutam & celebratam nouum obsignatum: sed hæc non magis ad Cyclopicam tuam manducationem facere dicimus, quàm veritatẽ ad statuendum mendacium.

Cuiusmodi verò hic clamor est, & in quos tandem hæc tela dirigis? *Quum à Mose figurarum parẽte in promulgatione veteris testamenti sanguis propriè sit vocatus, quis à Christo figurarum illustratore, sanguinem positum cogitabit pro sanguinis figura, in noui testamenti compositione, quod figurarum nebulas dispellit?*

Nemo certè. Quis enim nostrûm alio quàm verissimo Christi sanguine nos reconciliatos: quis poculum quod benedicimus alterius quàm dominici illius pro nobis effusi sanguinis κοινωνίαν esse dixit? Non de hoc igitur agitur, nõ hoc, inquã, quæritur. Sed an signũ in rem significatã essentialiter transmutetur, illud ipsum est quod non prius probabis, quàm tenebras conciliaris cum luce. Quantò igitur rectius sic in te hoc ipsum telum retorsero? Si propriè sanguinem vocauit in vetere Sacramento Moses sacri noui poculi ἀντίτυπον, propriè quoque Christus, in Eucharistiæ mysterij institutione panis & vini

nomen acceperit, quod illi ἀντιτύπῳ ex aduerſo reſpondet. Denique aliud eſſe memineris figuras veteris fœderis illuſtrare, quàm omnem figurarũ vſum ex Eccleſia abolere: quem errorẽ vt alios plurimos & maximos ſi tueri pergis, quid ſupereſt niſi vt pro eo quòd ſeptem nobis Sacramenta imò infinita pro duobus quoties libuit, obtruditis, nulla eſſe Eccleſiæ Sacramenta dicas, vel ipſe tibi manifeſtè contradicas?

Aliud tuum eſt iſtud argumentum. *Fœdera & Sacramenta ad confirmandas promiſſiones oculis ſubiiciuntur, ergo non internis & ſpiritalibus beneficijs, ſed externis notis, ritib⁹ & veluti ſigillis ac rebus illa celebrari oportet.* Probas antecedens ab abſurdo, *quoniã alioqui nemo indignus fuiſſet vnquã circunciſus vel baptizatus ſi ſpirituali actione credendo perfecta illa fuiſſet, aut nunc Baptiſmus perficeretur & tamẽ illis externis actionibus fœdus imbatur non autẽ internis propriè, quũ tales nullæ fuerint in paruulis, nec fuerint vnqua neceſſariæ niſi in adultis, ad fœderis fructum & finẽ adipiſcendũ.* Et ſic tandem cõcludis. *Ergo quũ in Cœna ſanguis ſit qui teſtetur in terra corã hominibus de fœdere Filij Dei, vt aqua in Baptiſmo ſanguis, inquam, ſit teſſera qua contrahitur fœdus: oportet ipſum exterius adhiberi & conferri in terra coram hominibus, vt prius contingatur, ac per ipſum fœdus confirmetur, quàm fructus fœderis ſpiritualiter percipiatur: nec rectè Caluinus* (hunc enim facis huius ſententiæ authorem) *quod poſtremo loco aduenit poſt confirmatum fœdus primo loco adfert ad conſtituendum fœdus.*

Antequam autem ad hæc tria ordine reſpondeam, quid de hac re tota ſentiamus explicari neceſſe

neceſſe eſt, vt ineptiæ ſimul & calumniæ tuæ omnibus pateant. Hæc igitur vt Verbo Dei prorſus conſentanea docemus.

Chriſtũ eſſe illum vnicũ in quo, ex gratuito fœdere, iuſtificati & ſanctificati ſeruamur, ad quę duo capita reuocamus præcipua quæ in Chriſto adipiſcimur beneficia.

Eos demum fieri beneficiorum illorum participes qui Chriſtum ipſum obtinuerint.

Vnicum eſſe Chriſti apprehendendi inſtrumentum, Fidem.

Hanc fidem gratis creari in nobis per Spiritum ſanctum, veram illius cauſam efficientem.

Sicut verbum prædicatum foris per hominẽ intus per Spiritus ſancti gratiã audiendo, creatur fides: ſic eandem in nobis foueri eôdẽ verbo Sacramẽtis, quæ proinde ritè ſumpta ſicut Chriſtũ ipſum ſic etiã eius beneficia in nobis obſignent.

Hæc Sacramenta duabus partibus conſtare nempe rebus in externos ſenſus incurrentibus, quas ſigna vocamus (cuiuſmodi ſunt præcipuè illa materiata, vt Aqua in Baptiſmo, panis & vinum in Cœna Domini) & re ſignificata interna & intellectui ſoli obiecta, quam vocamus Rem Sacramenti, quoties Sacramenti vox anguſtiore ſignificatione pro ſacris illis ſignis accipitur. Hæc autem res ſignificata eſt Chriſtus ipſe, cum omnibus beneficijs quæ ex ipſo depromuntur.

Rem iſtam Sacramentorum à ſuo effecto diſtingui, id eſt, Chriſtum ipſum & quæ in ipſo & cum ipſo nobis offeruntur, ab ipſa eorum perceptione: quod aliud quiddam ſit Percipere aliquid & Rei perceptæ fructibus frui, quàm ſit i-

pſa res quæ percipitur, & fructus qui inde percipiuntur.

His poſitis quæ prius quàm illis argumentis vtereris à te ſubuerti oportuit (ſubuertes autem nunquam) quod ad tuarum rationum baſin attinet, prorſus aſſentior fœdera celebrari oportere notis rebúſque viſibilibus. Idcóque veſtram tranſſubſtantiationem, qua notæ illæ réſque viſibiles in chimæras transformantur, prorſus abominamur. Sed ſi exiſtimas excludi res internas, & (vt planius quàm tu ex animi tui ſenſu loquar) merè intellectui obiectas eo quòd Sacramenta notis externis celebrentur, & quaſi ſigillo conſtabiliantur, in eo monſtroſam tuam inſcitiam patefacis. Nec enim eſſent Sacramenta ſi ſignis, notis & rebus duntaxat ob oculos poſitis conſtarent, teſte ſaltem Auguſtino, ſignum definiente quod exterius obiectum, faciat vt aliud in mentem veniat.

Quod autem adijcis, *ſi ſolis internis perficiuntur neminem vnquam indignum fuiſſe circunciſum aut baptiſatum*, calumniosè in nos dicitur, qui nunquam Sacramentorum vſum diximus ſola vel ſignorum vel rei ſignificatę receptione perfici, ſed è contrario, quæ Deus coniunxiſſet non poſſe legitimè ſeparari: atque adeò ſacramentalem perceptionẽ, id eſt, in qua ſigna illa viſibilia verbo adiuncta ſunt, longè maioris (niſi per nos ſteterit) efficaciæ eſſe docemus, quàm vbi ſimplex verbi auditus proponitur.

Sed hoc quidem verum eſt nos tueri ex Dei verbo, idem nos in ſimplici verbo atque in Sacramentis fide percipere, ac proinde extra Sacramenta

cramenta quoque Christum percipi: quemadmodum contra & verbum auribus audiri, & Sacramenta sumi possunt ad iudicium, absque illa re eâdem quæ & simplici verbo & Sacramentis nobis proponitur. Sed hoc ne tantillum quidem te iuuat. Illud verò quod subiicis de paruulis olim circuncisis, & nunc baptisatis, quibuscum fœdus nihilominus fuerit initum & confirmatum externis ritibus, quanuis internis actionibus puta notitia, assensu, fide caruerint, quoniam proculdubio sic abs te ponitur vt operis operati dogma illud non minus impiũ, quàm ridiculum stabilias, penitus quoque detestamur neque tamen negamus (illo etiam posito infantes dum baptisantur fide prorsus carere) fœdus in illis obsignari, sed alia prorsus ratione quàm tu sentias: qua de re quoque quum voles inter nos disceptabitur. Nunc autem, obsecro, quid tandem tibi in mentem venit vt quæstione de Eucharistia omissa, quam ne tu quidem paruulis dandam censueris, ad paruulorum Circuncisionem & Baptismum fueris delapsus? Mirum hoc certè in eo qui non ferat de Eucharistia aliunde quàm ex ipsis vnis institutionis verbis quæri. Accedo ad totius tui argumenti conclusionem qua nihil ineptius fingi potuit, etiamsi tibi priora omnia concederem. Vis enim sanguinem ipsum Christi esse illam fœderis tesseram testificantem in terris vt aquam in Baptismo, id est, ineptissimè & inscientissimè signum Baptismi cum re significata Eucharistiæ comparas. Vis loquar apertius? Nego sanguinem Christi esse Sacramentum siue signum fœderis, sed esse di-

co illud quod per tesseram, signum, figuram, Notam, Symbolum, Sacramentum, σφραγῖδα, (per illud vinum videlicet) significatur. Scio fore vt hic nobis obiicias illum Iohannis locum de tribus in terra testibus, itémque de Sacramentis quæ ex Christi latere defluxerint, quod vtrunq; vt verissimum amplector, & turpiter abs te ad probandum tuum delirium dico detorqueri. Negas? De hoc igitur inter nos quæritor, vt & de eo si libet quod magister ille vester dicit carnẽ Christi esse simul rem & Sacramentum: At tu interea ne illud pro concesso assumito, aut te sophistam agere confitetor. Sed illud miror qua fronte scribere ausus fueris *oportere sanguinem ipsum Christi in terra exterius adhiberi, conferri, contingi* (nam extra contactum nulla est vobis vera rei ipsius κοινωνία) *priusquàm fœdus per ipsum confirmetur.* Nam si hoc verum est, quo tandem loco vestri Laici statuentur, quos à calicis potu prohibetis? Scilicet ad carnis & sanguinis concomitantiam refugies. Sed quum in institutionis verbis corpus seorsim à sanguine, & sanguis à corpore discernatur, cui sanæ mentis homini persuadebis vel temerè hoc factum, vel corpus pro carne & sanguine, aut sanguinem pro sanguine & carne citra tropum accipi posse?

Inculcas & illud iam antea refutatum, *Sunt ista reciproca vt qualis sit datio, talis sit acceptio.* Ergo, inquam, talis quoque fractio, quod tamẽ dicere (vt opinor) non ausis. Et certè omnes ritus sacramentales verbis institutionis declarati, cuiusmodi est Præbitio, Fractio, Effusio, Comestio, Potatio, similiter omnino inter se accipiãtur

tur oportet, vt qualis est vna sit & altera: sed ex eo minimè consequitur similiter illa de signis & de rebus significatis intelligi. Nam quum signa externis sensibus, res autem significatæ fidei & menti obiiciantur, in illis quidem corporeæ & externæ natiua significatione verborum, in his verò incorporeæ & internæ actiones intelligantur oportet: translatione videlicet facta à corporeis sensibus ad animum, vt vsitatè solemus, quum videre quoque & capere, & gustare, & audire, & pungi animus dicatur.

Quæris rursum, *quum eâdem forma Moses & Christus diverint, Hic est sanguis testamenti, quare apud Mosen sanguis de externo vero sanguine accipiatur, in Christi verbis verò nequaquam.* Respondi antea & iterũ respondeo, & à Mose & à Christo verum sanguinem demonstratum, sed Mosen quidem signum externum suo tempori accommodatum, nempe sanguinem pecuinum, visibilem, & externis sensibus oblatum, demonstrasse ita vt rem significatam, id est, sanguinem ipsum Christi, soli fidei præsentem, vt ferebat legis pædagogia, innueret potius quàm indicaret: Christum verò, vt antiquitatum illuminatorem (sicut loquitur alicubi Tertullianus) clarè tum signum (id est poculum externis sensibus propositum) tum rem menti significatam, non corpori (nempe sanguinem illum suum verum) expressisse.

Iterùm eâdem oberrans chorda sic colligis, *Si populo, secundum Calvinum, satis fuit spiritualiter sanguinẽ Christi applicari, satis etiam fuisset ipsum spiritualiter offerri Deo*

Reſpondeo ſpiritualem perceptionem quam dicimus vnicam eſſe apprehendendi ſiue nobis applicandi Chriſti rationem, minimè excludere Sacramentalis & externæ acceptionis vſum qua fides ipſa & animus noſter ad ſuam illam actionem exercendam commouetur, ſicut externis ſenſibus obiecta facultates illorũ excitant. Reſpondeo & illud *Spiritualiter & reipſa* non rectè abs te opponi, quaſi ſpiritualiter idem valeat atque ſola quadam vana imaginatione. Itaque ne patrum quidem, qui ſolo animo & vnica fide diem Domini nondum reipſa exortum viderũt, inanis fuit illa ſpiritualis applicatio: vt qui eandẽ eſcam ediſſe & eundẽ potũ bibiſſe dicantur. Multò verò minus id dici de fide Apoſtolorum & noſtra poteſt, quæ in rem ipſam extantem ſic fertur, vt non magis reipſa nata & crucifixa ſit illa caro, quàm nunc credentibus reipſa cõmunicatur. Sed vt illa ſcilicet, ſic etiam iſta ſenſibus externis patêre velles, quod fieri nec poteſt nec debet, quoniam vt vera eſſet corporis Chriſti paſſio, exterius quoque fieri illam neceſſe fuit: at tu vera ſit & ipſius Chriſti & eius perpeſſionum applicatio, nequaquam id requiri, non modo ex eo liquet quòd & merè ſpirituale eſt hoc myſterium, & ſpiritualis vitæ cauſa inſtitutum. ac proinde ſpirituali ratione, fide videlicet fieri oportet: verumetiam ex eo quòd alioqui quoties corporali actione & ore ipſo Chriſtum à vobis edi cenſetis, toties illum quoque non ſola ſpirituali commemoratione (quam certum eſt vetuſtiores patres nomine ncruentæ oblationis intellexiſſe) ſed etiam

crucifigi

crucifigi & patri reipſa offerri oporteret. Fuerit enim omnibus modis ἀνθυπόφορος cõſequutio corporalis oblationis ad corporalem eſum, & corporalis eſus ad corporalem oblationẽ. Quod ſi excipias illud ipſum eſſe quod dicitis, nempe vt corporaliter quotidie reipſa editur Chriſtus, ſic quoque corporaliter illum in Miſſalico veſtro ſacrificio patri reipſa offerri, ſed oblatione incruenta, id eſt abſque interueniente paſſionis repetitione, nihil dixeris. Etenim vt in oblationis cruentæ argumento maneamus (quam vnam realem eſſe certum eſt) ſi eius recordatio & commemoratio ſpiritualis per fidem perinde ſufficit acſi vel coram oculis noſtris paſſus eſſet realiter Chriſtus, aut iterũ quotidie reipſa cruci affixus ſeſe patri repetito ſacrificio offerret, ſi, inquam, ſpiritualiter pati Chriſtum nunc ſatis eſt, cur non & ſpiritualiter comedi, id eſt, ſola fide applicari ſatis eſt? Nam ne paſſum quidem Chriſtũ ſed paſſurũ comederunt Apoſtoli, ſpiritualiter id quidem nec multo aliter quàm patres quanuis mox paſſurum: & vt illa conſequutio inter realem oblationem & manducationem ſibi prorſus conſtaret, neque paſſurum neque paſſum, ſed patientem adhuc Chriſtum comedi oportet. Nam neque futura neque præterita paſſio corporaliter adeſt, ſed ſola animi fidelis contemplatione. Chriſti autem carnis in ſeſe, id eſt, abſque ipſius paſsione conſiderata perceptio, ſiue illã corpoream ſiue ſpiritualem facias, nullius prorſus eſt momenti.

Pudet me verò in eo quod ſequitur confutãdo operam ponere. Comparas nouum fœderis

ſanguinem cum victimarum veterum ſanguine, quaſi ſub vetere fœdere nulla fuerit peccatorũ remiſsio. Itaque non fuerint ſeruati patres, quũ tamen beatificationem tot ante Chriſtum ſeculis definierit Dauid peccatorum remiſsione. Concedo igitur non fuiſſe expiata peccata ſanguine hircorum. Sic neque ipſa nos ſacramentalis aqua abluit, ſed ſanguis agni vnici tollentis peccata mundi: neque panis ille aut vinum illud (multò minus veſtræ Chimæricæ ſpecies) nobis vitam conferunt. Sed re certè paria fuiſſe illorũ & noſtra Sacramenta, aut inania ſpectra fuiſſe dicas oportet. Quid igitur? nempe eodem ſanguine, ſub diuerſis Symbolis licet impari expreſſione & efficacitate, in eodem Chriſto & illi potiti ſunt & nos potimur: venturo quidem illi & ſolo iure, nos verò exhibito & de facto quod aiunt. Rurſum ergo inſcitè ſignum vetus non cum ſigno nouo, vt oportuit, ſed cum re vtriuſque Sacramenti comparas: neq; verò nos ipſius Chriſti ſanguinis reali in cruce effuſione præſtitum nobis fœdus nouum diffitemur quod patribus erat promiſſum. Sed quod dicis *Chriſti ſanguinem in Cœna fuiſſe exteriori actione & Deo & hominibus oblatum* tale eſt vt nihil ineptius dici poſsit. Nam (vt de oblationis voce taceam quæ ἀκύρως prorſus hominibus abs te tribuitur) aut Chriſtum quoque facis idololatram qui hominibus & Deo ſacrificarit, aut Chriſtus non vnica, vt ait Apoſtolus, ſed duplici oblatione ſuiipſius nos redemerit, vna videlicet in Cœna, altera in cruce. Eſt autem illud perbellum ſanè commentum quod homo peracutus excogitaſti vt abſur-

vt abſurdum illud vitares: *quòd videlicet vnica tamen fuerit oblatio, quoniam ſicut Moſes vnica oblatione partem ſanguinis in crateras inſtillauit, parte verò altare aſpergebat, ita Chriſtus partem ſui ſanguinis in calicem miſerit, partem in cruce profuderit.* Itaque ſi tibi credimus, aut penè exanguis ab illa ſacra Cœna ſurrexerit Chriſtus, aut realiter potatum à diſcipulis ſuis ſanguinem reſumpſerit, quem partim in horto, partim inter carnificum manus rurſum cum reliquo effuderit. Sed quid de carne ipſa dices, bone vir? num partem quoque illius pro panis ſubſtãria ſubſtituit, partem verò reliquam in cruce obtulit? & quis iſtius quæſo, ſanguinis ſubſtantiam partim à diſcipulis realiter potati, partim realiter à carnificibus profuſi, reſumpſit, vt rurſum realiter toties biberetur? Nec vos vnquam, rogo, iſtarum ineptiarum pudebit quibus Chriſtiana myſteria deridenda propinatis?

Exagitamur abs te poſtea miris modis *quòd Matthæi & Marci verba Hic eſt ſanguis meus* (Nam Bezæ ſcilicet interpretationem antea vt falſam conuicisti) *ex illis Lucæ & Pauli verbis Hoc eſt nouum teſtamentum in ſanguine meo interpretanda cenſeamus.* Magnum ſcilicet piaculum, velle ſcripturam ex ſcriptura interpretari, quod tamen tu ipſe facis. Vis enim in ſumma. *Euangeliſtas mutuas ſibi operas tradere, & quod Matthæus & Marcus ſubobſcurius indicant, à Luca & Paulo illuſtrari: & contrà quod illi apertè dixerant, ab his vt ſatis perſpicue dictum, omitti. Clarè igitur illos quid detur expreſſiſſe, obſcurè verò ſignificaſſe dari eiusdem teſtamenti cauſa: illos contrà clarius docuiſſe*

*quid eo corpore & ſanguine fiat, quando & vbi iſtud nouum teſtamentum ineatur.* Atqui in huius tuæ repetitionis capite quarto, vt perſpicuitatẽ verborũ inſtitutionis Euchariſtiæ ſummam demonſtrares, negabas Euangeliſtas mutuas hîc ſibi operas tradere ſicut facere in obſcurè dictis ſolerent: quum nunc tamen fatearis in hac Cœnæ narratione alias ab alijs particulas adſcribi, quæ ab alijs prorſus omittantur, atque ita alium aliã particulã vel immutare vel clarius explicare. Sed age hoc tibi detur quiduis cõminiſcenti, vt eſſe perpetuò tot deliriorũ memor nõ poſsis.

*Sed in hac varietate*, inquis, *diſcors hæc concordia non officit veritati, imò magnum affert adiumentum, Nam ſi aliter fuiſſent intelligenda quæ omnes* (id eſt duo) *Euangeliſtæ retinent immutata, Lucas & Paulus in illo ſtudio variandi detexiſſent latentẽ obſcuritatem aut tropum.* Illud quidem concedo. Quis enim niſi planè blaſphemus, Spiritum ſanctum dicat repugnantia loquutum? imò cur ſcripturæ locos inter ſe ad diiudicandas falſas interpretationes veſtras comparamus, niſi vt ex fidei analogia & ſententiarum congruentia falſitatem veſtrã redarguamus? Sed iſtã tuã conſequutionẽ. quis ferat? *Quædam Matthæi & Marci in Cœnæ narratione Lucas & Paulus non declarant, qui tamen obſcuritatem quorundam aliorum dictorum illuſtrarunt, Ergo illa κατὰ τὸ ῥητὸν abſque vllo tropo accipienda ſunt.* Quid ſi enim excipiam, idcirco hæc non eſſe ab his declarata quòd tropus prorſus eſſet perſpicuus, imò quòd ſacramentaliter de Sacramentis loqui ſit maximè propriè & dilucidiſsimè loqui? Iam autem videamus *an Lucas illud*

*illud Matthæi & Marci, Hoc eſt ſanguis meus noui teſtamenti, his verbis Hoc poculum eſt nouum teſtamentum in ſanguine meo ſit interpretatus.* Hoc quidem negas *Vis enim de re diuerſa Lucam diuerſiſſimo ſenſu loquutum. Illos enim de eo quod datur, id eſt, de ipſo ſanguine loquutos, Lucam verò quid agatur, quando & vbi ineatur iſtud teſtamentum.* Sed vt hæc omnia tibi concedam, quid hoc ad inſtitutam quæſtionem, Síntne verba illa per ſacramentalem vulgatam metonymiam an natiua ſignificatione accipienda? Nam ſiue rem eandem illi, ſiue diuerſa diuerſis verbis explicarunt, tam poteſt vtrinque tropus quàm proprietas defendi. Ineptiſsimè igitur concludis. Sed ad rem, Tu vis apud Matthæum & Marcum pronomine τοῦτο demonſtrari quod dabatur. Volo & ego. Sed tu ſolum Chriſti ſanguinem & quidem eiuſdem Chriſti manibus in diſcipulorum manus datum, ego vinum quidem illud in poculo contentum Chriſti manu traditum dico, naturali & corporali modo in diſcipulorum manus: rem autem ſignificatam, id eſt, verum ſanguinem iamiam pro nobis fundendum à Spiritu Chriſti ſimul traditum diſcipulorum menti, ſpiritualiter, fide participandum. Apud Lucam & Paulum autem contendis *per* τοῦτο τὸ ποτήριον *pronuntiari hac potionis ceremonia & ritu nouum illud teſtamentum per ſanguinem verum Chriſti inſtitui.* Ergo nomine poculi, ſi tibi credimus, non vas ipſum, non vinum in eo contentum, non ſanguis ipſe Chriſti, ſed ipſa bibendi actio ſignificabitur, de quibus ſingulis videamus. Omnes illos Euangeliſtas inficiari non potes vno con-

ſenſu dicere Chriſtum ante benedictionem iqu
accepiſſe, ac deinceps dediſſe τὸ ποτήριον. Nu bibe
verò ſic ineptus fueris vt non vaſculum ipſum ben
ſed bibendi actionem aut ritum ab eo accepturiod
dicas? Quod ſi vas accepit, certè & *Vas* ipſum age
porrexit, vt illa tua regula quam nobis ante & p
præſcripſiſti, hîc quoque valeat. Tam enim vas ſc
rum eſt quod manibus tenebat Chriſtus, id quo *tum*
que præbuiſſe diſcipulis, quàm verum eſt quo hîc
præbuit Chriſtus, fuiſſe à diſcipulis acceptum (vt
Perridicula igitur eſt hæc tua commentitia di prin
uerſitas, & vt obtineat tua interpretatio, poc prin
lum ipſum momento oportuerit in bibendi inſt
ctionem noua & tuæ quoque factioni inaudit non
μεταμορφώσει tranſſubſtantiatum. Fateor tame pſi,
quanuis ipſummet propriè poculum Chriſtus (con
acceperit & diſcipulis porrexerit, non tamen alos
ipſum vaſculum ſed ad liquorem ſacramental gnif
in eo comprehenſum diſcipulos propriè atteſto
dere iuſſiſſe. Nec enim Sacramentum eſt poc mer
lum ipſum, ſed vinum eo contentum. Sed ho nim
neque cauſam tuam vel tantillum iuuat, neq lo p
ſine metonymia continentis pro contento dic vin
potuit, neque vllam eſſentiæ tranſmutationer deſt
requirit. Imò tranſmutata illius liquoris eſſe nob
tia, nihil ſupereſſe dico quod habeat ſigni ratic lius
nem. Iam verò ſanguinem ipſum quaſi in poc gna
lo contentum (vt antea velle videbaris) à Chr S
ſto demonſtratum fuiſſe per pronomen τοῦτο nun
Lucæ verbis nunquam niſi ineptiſſimè colleg *M*
ris, vt antea probaui. Quid enim fuerit hac on *mal*
tione abſurdius aut certè inuſitatius? *Hic ſangu qua*
*eſt nouum teſtamentum per meum ſanguinem.* De *eſſe*

niqu

ionemique quum subiicit Apostolus, *Et ex poculo illo*
Nu*bibat* quæso an vocem poculi poteris de ipsa bi-
ipsum bendi actione intelligere, aut aliter in hac pe-
epturiodo, quàm in ipsa institutione exponere? Sed
ipsum age, ponamus veram esse tuam interpretationē
ante & perinde loquutos fuisse Lucam ac Paulum ac
im vsi scripsisset, *Hic potionis ritus est nouum testamen-*
d quo*tum per meum sanguinem*, quæ stultitia est nullū
t quo hîc tropum in ipsa attributione agnoscere? Nam
eptum (vt præteream quod toties iam dixi, non tunc
tia di primùm institutum, non etiam propriè tunc
, pocu primùm initum fœdus, sed eius sigillum nouum
endia institutum est & vsurpatum) quis fœderis ipsius
audit nomen propriè competere dixerit aut sigillo i-
tame psi, aut eius appensioni, aut ipsi ritui, qui pactis
stus (conuentis adhibetur? Concludo igitur apud il-
men los omnes nomine τῆς ποτηρίου in illa historia si-
ent a gnificari vas ipsum vini liquore plenum à Chri-
atter sto acceptum, discipulisque porrectum: non ta-
poc men vt in poculum attenderent, sed vt ad id a-
d ho nimos ac fidem conuerterent quod illis in pocu-
neq lo porrigebat: ad vinum illud videlicet, non iam
o dic vinum commune corpori in hac vita foue ndo
ioner destinatum, sed Vinum, verum veri illius pro
esser nobis effusi sanguinis Sacramentum, nouique il-
ratio lius vitæ æternæ testamenti animis nostris obsi-
pocu gnandi sigillum.

Chr Sequitur vobis syllabarum & dictionum e-
τῆς π e numeratoribus planè conueniens disputatio,
lleg *Matthæúsne & Marcus an Lucas & Paulus for-*
c on *malia* (vt tu loqueris) *Christi verba sint eloquuti,*
sangu *quum semel duntaxat nec diuersis modis loquutum*
. De *esse Christum credibile sit:* Et concludis tandem
niqu

*Lucam & Paulum pro verborum Chriſti explanatoribus habendos in altera, id eſt, poſteriore, inſtitutionis parte.* Nobis verò etſi religio eſt à verbis inſtitutionis diſcedere, multò ſanè maior quàm vobis qui in veſtro Canone (vt antè dixi) nequaquam hoc ſeruaſtis: tamen nequaquam ita vt vobis ſyllabæ & voces videntur numerandæ, quaſi & eas ipſas totidē voces enuntiarit Chriſtus, & in totidem præſcriptorum verborum enuntiatione myſterium iſtud ſit poſitum. Clamitabis nimirum magnum hoc eſſe facinus, atque nō modò nos obiurgabis quod inſtitutionē Cœnæ ex Paulo potius quàm aliis recitemus (cui accuſationi ſuo loco reſpondebimus) ſed etiam illud impudētiſſimum mendacium inculcabis, *nihil magis cupere nos quàm hominum animos ab inſtitutionis verbis auocare.* Sed quo ſæpius hoc repetes, eo maiori te crimine coram Deo ac ſanæ mentis hominibus alligabis. Vin' igitur Euangeliſtas ſiue in hac ſiue in alia narratione hiſtorica non ſummam ſermonum Chriſti ſed illa ipſa totidem Chriſti verba religione quadam certa expreſsiſſe? Dic ergo nullam habuiſſe concionem Chriſtum quæ vel dodrantē horæ durarit. Quod ſi in hac ſaltem narratione hoc ab eis tam præciſè obſeruatum cenſes (quum tamen maioris eſſe momenti conſtet dogmata ipſa quàm ſigilla fidei) age quomodo Matthæum cum Marco, aut vtrunque cum Luca conferens, ab omiſsionis culpa illos liberabis? Nam hic plura & alia quàm ille vterq;, & Marcus rurſum plura & aliud quiddam dicit quàm Matthæus. Res autem ita ſe habet. Vetuſtus hic mos fuit

mos fuit vetuſtis ſcriptoribus, præſertim ſacris, imò etiam profanis hiſtorias ſcribentibus, vt eos ipſos quorum dicta & facta narrant, loquentes introducerent δραματικῷ quodam dicendi genere: in quo etſi nonnulla ineſſe veriſimile eſt quæ totidem verbis illi dixerint, attamen certum eſt ſcriptoribus fuiſſe propoſitum ſummam rerum dictarum perſcribere, non autem verba præſcripta numerare, niſi fortaſsis ita peculiarem ob cauſam factum legatur, vt in decalogo certum eſt euenisſe quod ſua veluti manu tabulis conſignauit Dominus, ac in legibus fortaſſe plurimis. Hinc quoque factum non dubito vt Euangeliſtę ſacræ iſtius inſtitutionis hiſtoriam texentes, non quot verba dixerit, ſed quæ quorſũ dixerit Chriſtus, præeunte Spiritu ſancto ſcripſerint, ſic illos vt in aliis hiſtoriis gubernante Chriſti Spiritu, vt mutuas operas hîc quoque ſibi tradiderint, & an his potius quàm illis ipſis totidem verbis Chriſtus ſit loquutus, quærere non modò ſit curioſum, ſed etiam incantatoribus quàm Chriſtianæ religioni conuenientius. Si tu aliter ſentis, tua ſentẽtia fruitor. Nos certè tibi ſubſcribere non cogimur, qui perinde Lucæ & Pauli vt aliorum verba, vt diuinitus enuntiata amplectimur.

Iſta verò cuiuſmodi tandem ſunt? *Aduerſarij*, inquis *non conſtituunt in potione ſanguinem Chriſti, ſed tantùm eius ſymbolum.*

Imò verò tu videris quo iudicio iſta ſcripſeris Nam ſi per potionem vinum intelligis, & credis ſanguinem in vino realiter conſtitutum ſiue cum vino adeſſe: planè cum iis facis quos Luthe-

ranos vocas: ſin verò ſanguinem ipſum potionem vocas, quid abſurdius quàm in ſanguine, ſanguinem conſtituere? ſin verò ſic intelligis vini accidentia ſine ſubiecto, quid ineptius rurſum quàm ſubſtantiam dicere accidentibus ineſſe?

Sed in iſtis præterea quæ totidem verbis ſcripſiſti vide annon manifeſtè præuariceris, *Sicut Circunciſionis actio vocatur fœdus, ſic potio dicitur fœdus propter eandem cauſam, quia nimirum eſt teſſera teſtamenti.* Euge, igitur, bone vir, ſi ita eſt vt dicis, id eſt, ſi hæc enuntiatio *Hoc poculum* (quid autem poculi nomine accipias nunc quidem nihil moror) *eſt nouum teſtamentum*, idem valet teipſo interprete, atque *Hoc poculum eſt teſſera veteris fœderis* ſaltem vel in Lucæ ac Pauli verbis metonymiam ſacramentalem agnoſcas, vel à teipſo diſſentias neceſſe eſt.

Agis poſtea contra nos quaſi Cœnam Domini cenſeamus *ideo tantum inſtitutam vt memoria paſſionis animo recolatur, & illa verba. Hoc facite in mei commemorationem huc detorqueamus*, quæ accuſatio nec vera nec veriſſimilis eſt. An enim vſque adeò noſtri obliti fuerimus? Imò quid aliud potius inculcamus quàm Paulinum illud dictum de corporis & ſanguinis communione, & illo myſterio quo fit Eccleſia os ex oſſibus eius & caro ex carne eius? neque tamen propterea ſolennem illam gratiarum actionem propter quam hæc actio Euchariſtia vocatur, & publicam veræ noſtræ fidei in publico cœtu profeſſionem prætermittimus, propter quam σωτηρίαν etiam dicitur. Fruſtra igitur probare ſtudes duo diuerſa h îc

ſa hîc præcipi, nempe *Comedite, & Recordamini,* ſiue *Annuntiate Mortem Domini.* Nec enim à quoquam noſtrûm id negatur. Sed quod tu inter diſputandum recoctum iam toties illud argumentum nobis reponis de corporali eſu agni & victimarum, totum illud inficior, neque noua refutatione egere puto, quum iam ſemel atque iterum ad iſtud reſponderim.

Placet tamen hîc tua quædam expendere, *Chriſtus*, inquis, *duo tradit aut vnum ex duobus conflatum, corpus ſuum verum & ſanguinem, cuius effectum qui eſt in remiſſionẽ peccatorũ apponit, & ſignum exterius ac viſibile: quod eſt Sacramentum & monumentum, exhibens ipſummet corpus cum ſuo effectu, & de vtroque nos commonefaciens.* Permane verò, vt in veſtris ſcholis loquimini, in his terminis rectè intellectis & inter nos conueniet. Nos enim vſque adeò minimè vanam aut inanẽ eſſe ſacramentalem coniunctionem arbitramur quin penè verius ipſum Chriſtum nobis offerri quàm illa ſigna fateamur. Remiſſionem autem peccatorum in illius ſolius Chriſti pro nobis paſsi communione ponimus: & ſigna idcirco proponi externis ſenſibus vt animus eò efficacius ad ipſius Chriſti & omnium eius beneficiorum perceptionem excitetur, credimus. Qua in re ergo diſſentimus? quòd negatis coniungi rem & ſigna niſi vbi vnum eſt ſit ipſo ſitu etiam alterum: quòd ſublato corporis noſtri cum corpore Chriſti contactu reali, ſomniatis tolli ipſius Chriſti veram communionem: quòd denique ſigna viſibilia in meras chimeras, nempe accidentia ſine ſubiecto transformetis. Hæc ſunt

de quibus probandis laborare te oportuit, nec tibi monstra quæ debellares comminiſci.

*Si Chriſtus*, inquis, *panem & vinum nudum exterius inſtituiſſet & præbuiſſet, longè inferius & obſcurius antiquis ſacrificijs paſſionem Domini repræſentaremus in Cœna, imò periret ratio Sacramentorum & analogia inter ſignum & ſignatum.* Obſecro verò ſi ſignum eſt aliquod in Cœna, quodnam illud eſt? ſpecies, inquies, panis & vini. Crediderat quidem hoc te dicturum. Sed audiamus quid ipſa tibi veritas extorſerit. *Nam*, inquis, *quæ congruitas eſt inter paſſionem Domini & inter* PANEM ET VINVM, niſi VNA CVM ISTIS *adſit corpus quaſi diuulſum à ſanguine qui in paſſione effuſus eſt, quique eam repræſentat quàm efficaciſſimè?* Ergo, mi homo, vt retineatur analogia ſigni & ſignati, à te extorſit veritas, vt panem & vinum adeſſe opottere in ipſa Euchariſtia fatearis, vt verum quoque corpus & verus ſanguis Chriſti in ea verè ſtatuantur, itémque corpus in Euchariſtia propoui veluti diuulſum à ſanguine in cuius effuſſione paſſio Chriſti efficaciſsimè repræſentetur. Prius autem illud quomodo cum tranſſubſtantiatione, poſterius quomodo cum calicis Eccleſiæ Dei erepti ſacrilegio conciliare ſic poſsis vt ſophiſtã non agas, tu videris. Sed quod ad rem ipſam attinet, dico tum demum nuda & vacua ſtatui Sacramenta quum vel dũtaxat μιμήσεων eſſe, vel externæ tãtummodo Chriſtianorum ſocietatis teſtificandę cauſa adhibita ſtatuuntur, vel talis eis tribuitur ſignificatio, vt quod ſignificatur non etiam verè fruendum detur: quæ quoties nobis obiicis,

toties

toties in veritatem peccas. At tu contrà nuda esse vis nisi rerum significatarum ipsa realis substantia simul eodémque loco adsit: quod si verè abs te diceretur, quid tandem, quæso, nobis de Baptismo statuendum esset? nempe aut nudum & inane esse signum, aut aliquid aliud quàm sanguinem Christi per aquæ Sacramentum significari, aut in aqua etiam Baptismi, sanguinẽ ipsum Christi realem adesse. Deinde & illud falsissimum consequetur, nempe nuda fuisse vetera Sacramenta, quæ tamen nisi re paria nostris fuisse cum Augustino, imò re eadem fuisse, cum Apostolo ipso statuas, nihil aut parum admodum inter verum Deum & illũ Marcionis præstigiatorem intererit. Quòd si fortè excipias re, id est, efficacitate & spirituali energia, paria vetera cum nostris fuisse, primùm vide etiam atq; etiam ne à tuorum magistrorum placitis discedens inter hæreticos censearis: deinde circunspice in quod præcipitium ruas, id ipsum statuẽs quod euertere conaris. Nam si absque illa reali situs præsentia (quod sanè verum est) vetera illa Sacramenta efficacissima tamen instrumenta seruandis patribus fuerunt, aut plus illis tribues quàm nostris, aut spiritalem quoque præbitionem nobis à Deo factã, & vicissim fide credentiũ factam ipsius iam existentis corporis & sanguinis Christi perceptionem, sufficere ad hoc fatearis oportet, vt sua Sacramentis veritas constet. Postremò quum dicis potiorem futuram veterum Sacramentorum analogiam si corporalis illa coexistentia tua tollatur, vide quantopere fallaris. Carnis, dices, planior est quàm pe-

nis cum carne ,& ſanguinis quàm vini analogia cum ſanguine. Sed quid hoc ad veſtrum dogma ſtabiliendum attinet, qui panis & vini accidentia ſola manere cenſetis? Verum enim illud eſſe fateamini neceſſe eſt , ſubſtantiæ quàm nudorũ accidentium maiorẽ infinitis partibus eſſe cum altera ſubſtantia quauis conuenientiam. Verùm alia quoque ratione falſiſsimum eſt quod exiſtimas. Neque enim quò craſsior & magis terrena eò accõmodatior eſt ſacramẽali ſignificationi analogia,idcirco inſtituta vt ad rerum cęleſtium conſiderationem animos noſtros ſubuehat. Alioqui non modò quò craſsiora,ſed etiam quò plura habuit Sacramenta vetus fœdus , eò præſtantius foret nouo. Cur verò craſsioribus ſignis egerent homines ante exhibitum Chriſtum ratio eſt quòd cæleſtia myſteria multò minus patribus quàm nobis eſſent patefacta. Quinetiam vide quàm ſit ineptum quod hîc affers,de corpore quaſi à ſanguine diuulſo. Etenim ſi hac in re poſitum eſt analogiæ veteris & nouæ diſcrimen quis non videt illam iſti præſtare? Victima enim ipſa coram iugulata , effuſo palàm ipſius ſanguine, quomodo non fuerit expreſsius exanguis corporis ſignum? Imò illæ quas remanere vultis ſpecies, albedo videlicet & rotunditas,& guſtus panis, quidnam habent cum accidentibus corporis humani commune, quod cernentibus oculis faciat vt corpus illud pro nobis crucifixum in mentem nobis veniat? Sic enim, & rectè quidem , Auguſtinus ſigna quoque ſacramentalia definit. Res autem ita habet. Caro quidem carnem cognatiore analogia quàm panis,& ſanguis

propius

propiùs quàm vinum ſanguinem repræſentat, ſi in ſeſe ſimpliciter caro & ſanguis ſpectentur. Sed corpus & ſanguis in Cœna Domini, nobis non ſimpliciter qualia ſunt in ſeſe, ſed vt æternæ vitæ cibus nobis proponuntur. At panis vt, corporis alimentum, longè accommodatior eſt ad æternæ vitæ cibum ſignificandum quàm caro. Et quod ad alterum ſignum attinet, ſanguis plærunque ſolis oculis à patribus vſurpabatur, poſtibus in vnico duntaxat ſacro ritu illinebatur, nec ſemper eo populus aſpergebatur, eius autem cibus lege tam ſeuerè interdictus erat, vt ne ſuffocato quidem veſci domi liceret, nec eum potare fortaſsis alia gens vnquam ſuſtinuit, quàm Satur epoto Sarmata paſtus equo: & vos reales ipſius Chriſti αἱματοποσίαι. At vinum, verũ ſanguinis Domini ſpiritualiter per fidem participandi Sacramentũ, non ſpectandũ, non illinendũ, non aſpergendũ, ſed bibendũ, & quidẽ omnibus Chriſtianis propinatur. Hæc eſt igitur congruẽtia, quę vt vera ſit, fateor quidem hoc requiri vt verè quoque res ſignificata detur: at nõ eo quem ſomnias modo: & qui ſi admittatur, non iam erit in hoc duplici eſu analogia ſed ταυτότης. Nam vterque corporalis fuerit, & eodem inſtrumento, ore videlicet ac dentibus, peragetur, eritque in ipſo tantùm cibo diſcrimen.

Dicis placere Caluino & Oecolampadio *vt apud Ioannem per aquam & ſanguinem teſtificantes in terra, intelligatur Baptiſmus & Cœna Domini, vnde colligis ſicut realiter præſens eſt aqua Baptiſmi ſic præſens ſtatui Chriſti corpus in Cœna Domini.* Prouoco ad Caluini commentarium in locum

Ioannis ex quo impudentia tua ſumma redarguatur. Nec tamen propterea inficiamur ſcitè ſcripſiſſe Auguſtinum, Sacramenta Eccleſiæ ex latere Chriſti profluxiſſe. Alluſit ergo Ioannes ad legales purificationum & ſacrificiorum ritus, ſignificans veram ſanctificationem & expiationem ex Chriſto crucifixo manare: quod vtrunque beneficium & veteribus illis Sacramẽtis ſignificabatur, & nobis nunc exhibiti Chriſti effectibus, nouiſque Sacramentis quaſi ob oculos ſtatuitur. Non eſt, inquam, vſus aquæ & ſanguinis nominibus Euangeliſta vt ſigna noſtrorũ Sacramentorum exprimeret, quamuis aqua videatur aquæ Baptiſmi reſpondere: ſed alludens ad veterum Sacramentorum ſymbola oſtendit eorum vim omnem in Chriſto nobis verè ac reipſa præſtari, quod & ipſa effecta & Sacramenta nobis in terra nunc clariſsimè teſtificantur. Id autem ita eſſe apparet tum ex eo quòd ſanguis olim quidem erat ſignum, nunc verò non eſt ſignum ſed res ſignificata in Cœna Domini: tum etiam quòd alterum quoque ſignum nempe panem Ioannes alioqui expreſſiſſet. Sic igitur ſunto refutata illa tria veſtra commenta, corporis Chriſti veritati, ipſiuſque in cælis collocationi, & ipſi Sacramentorum fini ex diametro repugnantia: quorum primum eſt, panem & vinum non eſſe Cœnæ Domini ſymbola, ſed in ipſum Chriſtum tranſſubſtantiari: alterum ſacramentalem coniunctionem idem eſſe atque ipſius carnis & ipſius ſanguinis Chriſti ſubſtantiam realiter ad panem & vinum reipſa accedere: tertium meras proponit chimeras, nempe ſpecies, ſiue

accidentia

accidentia ſine ſubiecto, corpus quantum non quantum, circunſcriptum & nō circunſcriptum, præſens & abſens, introiens noſtrum corpus & mox euaneſcens, dentes quidem murium at nequaquam hominum euadens & quid non?

## AD CAPVT IX.

Ex priore ad Corinthios Epiſtola nihil minus quàm tranſſubſtantiationem aut realem coexiſtentiam carnis & ſanguinis Domini cum ſacræ Cœnæ Symbolis elici poſſe.

HIC verò quoniam acumen ingenij tui venditare præcipuè ſtuduiſti, age placet tua Enthymemata ordine diſponere.

*Apoſtolum*, ais, *non fuiſſe taciturum Corinthios verborum inſtitutionis ſenſum ſi quem aliunde à Domino didiciſſet* Concedo vt eius rei probationem quærere te minimè oporterit. Sed hoc addo: quæ luce pene ipſa clariora ſunt ijs qui vel prima Chriſtianæ religionis elementa tenent (quòd Chriſtus videlicet illud verum ſuum circunſcriptum corpus ſupra cælos intulerit, vnde non prius ſit venturus, quàm viuos & mortuos iudicaturus veniat: & quæ de Sacramentis ſacramentaliter dicuntur, eſſe quoque ſacramentaliter accipienda) nulla expoſitione vel illuſtratione noua indiguiſſe. Quod autem commini ſceris *hæreſes de Cœna Domini fuiſſe inter Corinthios agitatas, de quibus etiam Apoſtolus Dominū conſuluerit qui tamen nihil noui ab eo retulerit*, quo tandem pudore cogitare nedum ſcribere auſus

es? Nam hac de re ne vocula quidem apud Apoſtolum inuenies, vnde id ſuſpicari vel leuiſsimè potueris. Quis autem illum arbitretur tale quidpiam fuiſſe diſsimulaturum? Et tu, quæſo, quorſum iſta? nempe vt poſtquam hominibus perſuaſeris. *Corinthios* (ita enim ſcribis) *in eo errore verſatos vt non pluris panem Euchariſtiæ æſtimarint quàm alium communem, aut ſaltem alium cibum Deo aut idolis ſacratum*, tu nos poſtea facias illorũ ſimiles. At quo tandẽ iure? num enim ſacrum panem eundem atque communem faciunt, qui illum vocant efficax veri corporis Chriſti Sacramentum, & noſtræ cum Chriſto veræ conſociationis ſigillũ? Imò quod de Euchariſtiæ pane dicis quomodo cum tuæ trãſſubſtantiationis dogmate conſentit, quod nullũ pani locũ in Euchariſtia relinquit? Neceſſe eſt ergo vt per panẽ intelligas panis ſpeciem, ſed quamnam tandem? rotunditatémne an albedinem? atqui non ſunt hæc accidentia eiuſmodi vt ex iis panem adeſſe neceſſariò coniicias? panes autem illos Azymos quos tũc edit Chriſtus, quis te docuit albo colore & rotundos fuiſſe? Guſtum autẽ miror quem tandem habeant accidentia, ſine ſubiecto, id eſt, reipſa merum nihil: quo vno cibo ſi veſcer clerus paſceretur, næ plerique non tam pingues eſſent ventres. Hoc ſcilicet Euangelium eſt quod Corinthios Apoſtolus docuerat. Denique quum ex illa Epiſtola liqueat inter Corinthios ſic fuiſſe de idolothitis diſceptatum, vt corrigendus eorum quoque error fuerit quibus erat religio idolothytis nullo modo veſci: quo iure illis hũc fœdiſsimum errorem impingis, qui ſi valeat, nullũ

inter

inter Christianæ religionis tanta Sacramenta & idolothyta discrimen ponetur? Sed qua tandē coniectura niteris vt hanc illis immerentibus impietatem obiicias? *quoniam*, inquis, *addit Apostolus, panis quem frangimus nonne communicatio corporis Domini est? &, Non diudicans esse corpus Domini.* Obsecro verò quæ hæc confidentia est? Vix enim credibile est, in quo etiam aliquoties antea peccasti, locum Pauli à te fuisse conspectū quum hæc tibi excidérent. Comperisses enim Paulo non esse propositum in decimo capite (vnde prius illud testimonium depromis) agere propriè de aliquo Corinthiorum in Cœna Domini errore, sed de eo quòd nonnullis religio non esset conuiuijs idololatrarum in ipsa idolorum æde celebratis, id est, impiorū sacrificiorum appendicibus interesse, eo prætextu quòd idolum nihil esset, ac proinde polluere cibos non posset, quum præsertim ipsi melius essent instituti neq; idololatriam approbarent. Illorum igitur pernicioſum errorem corrigens Apostolus, inter alia argumenta hoc etiam nititur longè grauissimo, quòd conuiuia illa essent partes idolorum cultus, quo sese idololatræ dæmoniis addicebāt. Hoc autem probat ex ipso eiusmodi conuiuiorū fine, exemplum sumens à legalibus sacrificiis à Deo institutis, in quibus qui sacris epulis (parte videlicet oblatæ victimæ) vescebantur, suam cū vero Deo consociationem sic testabantur & obsignabant. Et quia in locum illorum sacrificiorum legalium succesit Cœna Domini, hoc quoque vrget Apostolus, quasi his verbis vtens. Sacrum autem illud Christiano rum

epulũ quorſum & in quẽ præcipuè vſum ac finẽ à Domino inſtitutũ eſt? nempe vt cũ ipſo Chriſto vniamur & coaleſcamus. At Chriſto cum dæmonijs nulla prorſus eſt ſocietas. Ergo ſi vultis in Chriſto permanere, & communionem cũ eo ſeruare, neceſſe eſt vt ab iis conuiuiis abſtineatis, quibus hominum cum dæmonijs ſocietas ſancitur. Quod igitur ait de Cœna Domini Apoſtolus, vt conceſſum aſſumit, ſicut fieri in argumentando oportet: nedũ vt Corinthios docere velit diſcrimen eſſe ſtatuendum inter Cœnam Domini & idolorum epulas. Sic & nos hodie noſtrorum aliquos eodem prorſus argumento à veſtro Idolomanico toto cultu deterremus non vt illos doceamus quod ſatis norunt, aliud eſſe ſacram Domini Cœnam, quàm veſtram execrabilem oblationem, ſed vt quum hoc norint, ſimul attente conſiderent illius nullam appendicem eſſe διάφορον, nec ſe poſſe mẽſæ Domini, ſimul & veſtrorum dæmoniorum fieri participes. Iam verò quod ad alterum locum attinet, *Non dijudicans corpus Domini*, primùm deprehenderis corruptarum ſacrarum tabularum reus. Nec enim ſcripſit Apoſtolus *Nõ dijudicans eſſe corpus Domini*, ſed, *Non diſcernens ſiue non dijudicans corpus Domini*. neque verbum διακρίνειν pati poteſt vt verbum εἶναι ſubaudiatur, vtpote quod in ea ſignificatione ſemper ſit trãſitiuum. Sed id voluiſti nimirum ad tuum commentum accommodare, quaſi Corinthij non diiudicarent (id eſt non iudicarent neque apud ſe exiſtimarent) cibum illum eſſe corpus Domini ſed perinde vt cibum vulgarem haberent, adeóque

que nõ pluris quàm idolothytũ facerẽt. Verùm, præter quàm qđ absoluta est à Paulo superiore capite quæstio de Idolothytis, cui tandem sano homini persuaseris, vel Corinthios, quibus se tradidisse dicit Apostolus quod à Domino acceperat, in illã impietatem decidisse, aut si decidissent, Paulũ qui leuiculum præ ista impietate delictũ tam acriter in ipsis reprehẽdit, vt etiam hoc quod agebant Cœnam Domini esse neget, istud fuisse penitus dissimulaturum? penitus, inquam. Nam in cõtextu ne voculã quidẽ inueniri dico vnde hoc coniici possit. Si mihi non credis crede Chrysostomo in hunc locum non aliter scribenti, quàm si ad tuas ineptias respondendum sibi putaret. Non minus ineptè factum illud Corinthiorum in eo sitũ fuisse scribis quòd sese ad Cœnam Domini non ea qua decet veneratione præpararent. Neque enim hac indecentia quanuis minimè ferenda Apostolus ad tã grauem illam sententiam pronuntiandam esset commotus. Hoc ergo Corinthij non παρὰ τὸ πρέπον duntaxat, sed contra ipsius Cœnæ Domini institutionem, atque naturam faciebant, quòd & lautitijs indulgerent, & pauperes fratres aspernarentur, quum Cœna Domini non ad pascendum, nedum ad saginandum corpus, sed ad vitæ æternæ verum & vnicum alimentum percipiendum, & ad mutuam cum fratribus in vno Christo sanciendam coniunctionem sit instituta: quamobrem etiam monet Apostolus vt deinceps domi potius (sublatis communibus Agapis) cibum capiant. Quanuis igitur Apostolus ab hypothesi ad thesin ascendens generalem in

eos ſententiam ferat qui indignè ad Cœnã Domini accedunt, non debet tamen hoc Corinthiis niſi in eo in quo peccabant applicari: ac proinde quicquid hìc profers, præterquàm quòd falſò in nos dicitur qui nunquam Cœnam Domini cum vulgari cibo aut cum nudis figuris cõparauimus, audaciã ſimul & imperitiã tuã patefacit.

Sic corruunt quæ tam putri fundamento imponis, Apoſtolum videlicet in tam magna difficultate, id eſt, in Corinthiorum dubitatione tollenda de fide Euchariſtiæ non fuiſſe fundamentum iacturum à figurata loquutione, ſed ſuo more fuiſſe præfaturum aliquid, veluti, *Sacramentum hoc magnum eſt, dico in pane & corpore Domini*, vel *Iſtud in figura corporis ſui tradidit Dominus*. Certè quum his nugis tuum illud ingens volumen farcires, iuſto Dei iudicio excæcatum fuiſſe te oportet: nec alio te reſponſo dignum arbitror.

Subiicis tot penè calumniarum quot verborum plenam diſceptationem de verbo *Frangendi* in illo Pauli loco τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον, *Quod pro vobis frangitur*.

Prima igitur hæc calumnia eſt quòd dicas *cenſere nos ex fractionis appellatione, nõniſi ſymbolũ corporis & panem à Chriſto demonſtrari, & tradi, quoniam fractio fuit à Chriſti corpore in paſſione prorſus aliena*.

Altera calumnia eſt *quòd frangere accipiamus pro diſtribuere vt apud Eſaiam, Frange eſurienti panem tuum, vnde etiam colligamus non obſeruari ritè inſtitutionem Cœnæ Dominicæ, niſi præter quàm quòd panis porrigitur, etiam frangatur. Quod vtrũque*

*que ex eo confutas quòd hoc non dicitur nobis ſed pro nobis, id eſt, pro noſtris peccatis dari & frangi.*

Reſpondeo vtranque calumniam ex tuis ipſius verbis patêre, qui fatearis Caluinum vocẽ κλάσιν pro immolatione accipere. Num enim ita nos ineptire cuiquam perſuaſeris, vt dicamus ſymbolum corporis pro nobis immolatum? Te ipſo igitur iudice non ſolùm panem nobis frangi, ſed etiam pro nobis corpus ipſum immolatum nobis verè dari docemus, quia ne ſi in manus quidem ipſas millies (ita vt vultis) daretur, nobis tamen niſi ſemel pro nobis immolatum, nunquam prodeſſet. Ideo Paulus Euangelii prædicationem pauciſſimis complexus, quum ſeſe dixiſſet vnicum apud Corinthios Chriſtũ noſſe, addit *& quidem crucifixum* & in inſtitutione Cœnæ additum eſt, *Quod pro vobis datur*, & *Qui pro vobis funditur*. Manifeſtus es igitur hac in re calumniator, vt & in altera. Neque enim fractionis ritum ſacramentalem ea qua dicis ratione conquerimur à vobis prætermiſſum, ſed quòd nos Chriſtus facere quod fecit, ideóque panem cui benediximus, frangere iuſſerit. Túne enim hoc negabis? Imò quum in alia repetitione tantopere vrgeas panis fractionem, vt etiam in hiſtoria duorum illorum viatorum Emauntẽ poſt reſurrectionem proficiſcentium, pro Cœnæ Domini actione accipi velis hoc in nobis reprehendere audes, quo ſublato, Cœna Domini nullo modo poſſit per fractionẽ panis intelligi?

Reprehendis quoque Caluinum vt contextus deprauatorem, *quòd exiſtimet ex Hebraica linguæ proprietate tempus præſens in futurum commu-*

*tandum, neque Frangitur dicendum ſed Frangetur.*

Debuiſti ergo locum Caluini citare. Nam in harmonia Euangelica & Paulo præſens tempus ſeruauit. Sed quod ad rem ipſam attinet, quæ hæc rurſum impudentia eſt, quum tu ipſe eadem pagina fatearis Latinos maxima ex parte legere futuro tempore *Tradetur*, proculdubio pro διδόμενον, vt etiam (quod aſtutè præteriiſti) *Fundetur* pro ἐκχυνόμενον, audere tamen Caluinum vt diuini verbi corruptorem accuſare, quòd κλώμενον vertendum cenſeat Frangetur? Hoc quidē verum eſt, etſi non temerè Chriſtus præſenti tempore vſus eſt, vt fidei vim & energiam oſtendat, qua olim factum eſt vt veteres quaſi præſentem diem Domini in veteribus Sacramentis viderint, & nunc fit vt rem præteritam (mortem videlicet Domini & corpus ipſius quanuis longiſsimè à nobis diſſitum) velut ipſis oculis in noſtris Sacramentis intueamur, & veluti manibus palpemus: tamen illud διδόμενον & κλώμενον ad rē mox ſequuturam reſpicere, ac proinde non modò ineptè ſed etiam impiè à te ſcribi, ſacrificiū corporis & ſanguinis Domini in ipſa Euchariſtia eo fundari quòd dicatur corpus in ipſa dari, frangi, & exhiberi pro nobis, & poculū effundi pro nobis. Quid enim eſt ineptius quàm ex Sacramento ſacrificium facere? & quid magis impium quàm Chriſtum dicere ſeſe Deo Patri ſæpius pro peccatis hominum in ſacrificium expiatorium obtuliſſe? Quid? quòd ſupra capite ſeptimo tu ipſe hac quæſtione propoſita *an potuerit Chriſtus apponere corpus ſuum loco agni paſchalis ante mactationem & paſſionem*, non refugiſti ad hoc

hoc duplex ſacrificium, ſed his verbis rectè reſpondiſti, *Reſpondemus Chriſtum quaſi mortuum habitum fuiſſe & ſepultum, ideóque à Magdalena perunctum, atque alia nonnulla per anticipationem dictafactáque.*

Sed age de ipſo Frangendi verbo dicamus. Rides Caluinum (Monachus videlicet vrbanus) qui nouum ſignificatum excogitauit quũ frangi declararet accipi pro immolari, quia pro peccatis noſtris in cruce ſit attritus, aut, vt vult Petrus Martyr, propter animæ à corpore in cruce factã ſeparationẽ. Hanc autem interpretationẽ duplici ratione refutas, Vna *quòd inuſitata ſit ſcripturis, ipſiſq; adeò Grammaticis, hæc ſignificatio verbi κλώμενον.* altera, *quoniam neque corporis ſymbolo fracto conuenit, vtpote quod non ſit pro nobis fractum neque ſymbolo corporis fracti, quoniam fractio corpori competere in ſe nequit, nec iſta particula pro vobis pani aut ſymbolo conuenire.* Caluini autem hæc verba ſunt, *Ego, ſicuti Paulum ad panis fractionem alluſiſſe fatcor, ita hic Frangi poſitum interpretor pro immolari, impropriè quidem, at non abſurdè. Nam vtcunque nullum ipſius os mutilatum fuerit, corpus tamen ipſum tot tormẽtis & cruciatibus, deinde crudeliſſimo mortis ſupplicio expoſitum, non poteſt illæſum dici. Hoc frangi vocauit.*

Cedò verò quid in his verbis meritò reprehenderis? Frangendi verbum bis poſitum eſſe ab Apoſtolo inficiari non potes, ac priore quidem loco pro diſtributione ſiue diſpenſatione accipi non poſſe, illud oſtendit, quòd alioqui eſſet ineptiſſima τωτολογία in *fregit dedit*: propriè denique fractionem ibi intelligi & de ipſo

ſigno dici res ipſa clamat, & vos iſta cantiuncula teſtamini. *Nulla rei ſit ſciſſura, Signi tantùm ſit fractura*: poſteriore verò loco quin de re ſignificata, puta corpore dicatur, ne tu quidem negare poſſis: propriè tamen id non conuenire corpori tutemet fateris. Tranſlatitiè igitur ſumatur oportet. Quid ergo declarabit? Tu quidem his verbis Catholicorum tuorum ſententiam explicas, *Catholicorum*, inquis, *præſtat ſententia & fides qui credunt in Cœna non tantum nobis ſed etiam pro nobis Chriſti corpus frangi ac diſpenſari.* Tibi ergo *Frangi* poſteriore loco idem valet atque *Diſpenſari*. At cui tandem diſpenſari dices pro nobis? Nempe aut nobis aut Deo pro nobis. Illud tu quidem innuere videris, ſed paulò pòſt transformans Sacramentum in ſacrificium (quæ ſanè μεταμόρφωσις dura eſt, quum Sacramenta inſtituta ſint vt à Deo promiſſa accipiamus, ſacrificia verò vt à Deo mandata offeramus) mauis *Frangi* verbum explicare pro *Dari* & *Exhiberi*. ſed cui? nempe Deo: ſed à quo? nempe à Chriſto ipſo, aut à ſacrificio, idque pro nobis. Sed quinã à ſacrificio niſi quia prius à Chriſto? Ergo duo vnius Chriſti fuerint ſacrificia & quidem realia, duo, inquam, & tempore diuerſa: vnum prius videlicet in Cœna, alterum poſterius in cruce. Deinde quum certum ſit alluſione ad ſigni fracturam facta dici de corpore quòd frangatur: & res ipſa clamet in ſigni fractura verbum *fregit* non poſſe accipi pro *diſpenſauit* ſiue *diſtribuit* (quia ſcriptum eſt *Fregit, Dedit*) cuius tandem analogiæ fundamento nitetur illa tua interpolatio, *Quod frangitur*, id eſt, *Quod diſpenſatur pro vobis*?

*pro vobis?* præterea quînam factum putas vt *Frãgere* pro *Dispensare* accipiatur? nempe ex patris familias more qui non solidos cuique panes discumbenti familiæ, sed frustum cuique suum distribuere cõsueuisset, idque fractũ potius quàm cultro sectum, quod planioribus panibus vti solerent Hebræi. Hoc ita esse si mihi non credis, eruditos istic Hebræos consule. Vobis igitur qui sublato sacramentalis fractionis ritu crustula illa vestra in os ingeritis, quînam constabit illa translatitia interpretatio? Præterea si *Frangi* pro *Dispensari* siue *Distribui* accipitur, quo pudore ausus es omnem tropum ab institutionis Cœnæ verbis paulò antè tam seuerè excludere? Deniq; quum in posteriore tua interpretatione, *Frangi* accipias de sacrificio, annon eam ipsam affers interpretationem quam in Caluino reprehendis? sic tamen vt in eo plurimùm inter vos intersit, quòd tu quidem in ipsa quoque Eucharistia Christum reipsa sacrificatum fuisse & quotidie sacrificari contendis, Caluinus verò vnica eaq; semel peracta Christi oblatione cum Apostolo contentus, datum velit in prima Cœna mox sacrificandum, & nobis iam olim Deo semel sacrificatum dari. Quod igitur garris in illis verbis *Quod frangitur pro vobis, nõ conuenire frangendi verbum symbolo, id est, pani, vt qui non possit dici fractus pro nobis, sed nobis detur & frangatur*, vere à te diceretur de participio κλώμενον, nisi in nos à te diceretur perinde acsi non ipsum corpus, sed eius duntaxat symbolum nobis in Cœna dari censeremus. Sed & in eo peccas quòd *Dari* & *Frangi* ponas tanquam synonima, quum (vt antea dixi) diuersa sit à datione fractura, &

dationi etiam præcat. Et quod demum negas Frangi conuenire ipſi corpori in ſe, tuam ipſius interpretationem conuellit. Es enim illud antea pro *dari* & *diſpenſari* interpretatus: quod ſi negas corpori in ſeſe conuenire, te ipſum ergo totum retexe, qui toties iam affirmaris nihil in Cœna præter ipſum corpus demonſtrari, & ſub ſpeciebus panis dari. Quid quòd tandem veluti ſuperiora omnia expungens, in hæc tandem verba deſinis? *Rectè omnia congruunt*, inquis, *ſi hoc eſſe corpus Chriſti dixerimus quod in Cœna pro nobis ſub ſpecie panis frangatur.* Ergo *frangere* non iam pro *diſpenſare*, nec pro *Deo offerre*, ſed propria ſignificatione acceperis, niſi fortaſſe fallor. Verùm hic tibi explicandum illud ſupererit, quînam tandem partibilia eſſe velis accidentia quę nulli partibili materiei, id eſt, nulli ſubiecto inſint. Nam ſi corpori ipſi Chriſti ineſſe dixeris, fractum imprimis id eſſe oportuerit. Poſtremò irridere quoque nominatim belliſſimam quandam (vt tu ais) meam interpretationem, tu ſcilicet belliſsimus homo, voluiſti, qui *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur*, interpreter, Hoc eſt ſymbolum corporis, quod corpus pro vobis datur. *Nam*, inquis, *Paulus non tantùm ſcribit datum pro nobis in mortem, ſed frangi, quod ei in morte non accidit, quum κλᾶσις ſit proprietas panis & non corporis.* Refellens ego rancidam & centies millies refutatam illorum calumniam qui ſacramentalem metonymiam perinde in nos retorquent, acſi inde conſequeretur cenſere nos ſymbolum corporis, non autem ipſum corpus, pro nobis eſſe traditum, dixi in illis verbis *Quod pro vobis*

*vobis traditur seu datur*, relatiuum *Quod* non ad vocem symboli sed ad vocem corporis à nobis referri. Nec enim docere nos panem illum esse corporis symbolum, quod symbolum pro nobis datum sit: sed panem illum esse symbolum eius corporis, quod corpus pro nobis sit datum. Hæc tu igitur quum sic detorques acsi locum Pauli propriè sic essem interpretatus, quid aliud quàm sophistam agis? Sed bonè est quod *Frangi* dicis esse *panis proprietatem*, panis videlicet illius. Nam alioqui quid prohibet quominus corpus etiã aliud omne sit partibile? Obsecro enim si ita est, annon fractionem omnẽ a Cœna remoues, qui nec corpus in sese fractum in frusta fuisse velis (& quidem rectè) nec panis substantiam materiémue vllam in Eucharistia statuas? nos verò sic sentimus, verè ac propriè frangi panem, cuius ritus verè sacramentalis, ac proinde in Ecclesia obseruandi, analogiam vt Paulus declararet maluit pro διδόμενον substituere κλώμενον, ostendens fractione signi repræsentari ingentes & nobis incomprehensibiles illos cruciatus quos & corpore & animo redemptor ille noster in cruce sustinuit. Addo nunc & illud, allusisse mihi videri Apostolum ad sacrificandi morem, quo victima non modò iugulabatur, sed etiam post omnem effusum sanguinem detracto corio in aliquot partes & frusta, ne exceptis quidem holocaustis, dissecabatur. quo ritu dubium non est quin in illa truculenta corporis Christi laniena cum terribili animæ ipsius veluti laceratione coniuncta, fuerit adumbrata. Sed ad scripturam, imò & ad Grammaticos prouocas. Ar-

qui non dixit simpliciter Caluinus *Frangi* positum pro *Immolari*, *sed tormenta & cruciatus quos Christus in crucis sacrificio sustinuit ita significari.* Tibíne verò durius etiam non videtur quempiam fractum, contritum, attritum, etiam animo dici, quod decem minimũ vocibus hebræis significatur? Quinetiam, quod insolentius multò videri possit, τὸ σπαράττειν, quod discerpere & dilacerare declarat, de dæmoniaci acerbissima vexatione dicitur Lucæ 9. 42. & allusione quoque ad victimarum dissectionẽ facta iubet Paul. Pastores τὸν λόγον ὀρθοτομεῖν. Apud Latinos verò simili translatione non modò lacerandi vox ita vsurpatur, sed etiam secare dicitur podagra, nisi fortasse tibi non satis Romanè loquutus videtur ille tam re spurcissimus quàm loquendi formulis tersissimus poeta.

Sed hoc quod subiicis argumentum planè mirificum est. *Paulus*, inquis, *recitata Eucharistiæ institutione subijcit, Itaque quicunque indignè manducauerit panem hunc. Certè per Itaque aliquid ex præcedentibus auferre voluit. Quomodo verò contra naturæ & suum morem, si figuris & tropis scatet oratio, ex figurato sermone quem antea proprio sensu non reddiderit, aliud probabit?* Nouus certè & inauditus disputandi canon, vt ex figurato sermone nisi quem prius proprio sensu explicaris, conclusio necti non possit. Dele igitur omnes parabolarum non explicatarum conclusiones. Sed minimè necesse est vt huc deueniamus. Tantùm enim abest vt tropus Metonymiæ sacramentalis sit inusitatus & obscurus, vt contrà vix aliter homines signis vtentes loqui consueuerint

ſueuerint,& ſicut ante ex Chryſoſtomo obſeruaui, ideo non fuerint turbati hoc ſermone diſcipuli quoniam multa iam hac de re & magna cum eis Chriſtus diſſeruerat.

Contendis præterea *corporis & ſanguinis nomẽ ſimiliter & eodem ſignificatu, proprio videlicet ac nativo, in ipſa inſtitutione accipiendum atque in his verbis, Reus erit corporis & ſanguinis Domini, in quibus nos ſteamur pro naturali & ſubſtantiali poſitum.*

Id ego verò totum concedo, &, vt omnem tibi ſemel iſtarum ineptiarum occaſionem præcidam,ſcito nos,quum panem dicimus ſiue eſſe ſacramentaliter corpus Domini, ſiue eſſe ſymbolum corporis Domini, non aliud quàm verum illud & vnicum ſubſtantiale Domini corpus pro nobis traditum intelligere, quod tamen neque de pane aliter quàm Metonymia ſacramentali dicatur, neque aliter quàm ſacramentaliter adſit, neque alio quàm fidei organo ſpiritualiter percipiatur. Scito & illud, Quum ad Cœnam Domini indignè accedentes dicimus reos fieri corporis & ſanguinis Domini, verum illud Chriſti corpus & verum ſanguinem Chriſti intelligere. De his igitur tribus non de illo priore quæri abs te oportuit.

Rectè igitur poſtea de ipſa manducatione corporis incipis diſſerere, quam vt duplicem in Euchariſtia eſſe probes ( vnam videlicet præſentis reipſa corporis quæ ore ac dentibus, alteram ſpiritualem realiter præſentis, quæ nonniſi ſpiritu & fide fiat, quarum hæc ſit ad illam rectè & vtiliter agendam præparatio ) hoc argu-

gumento veteris. *Si corpus tantùm ſpiritualiter ederetur in Cœna friſtra requireretur probatio ſui ipſius quia nemo poſſet illud niſi dignè fide videlicet præditus edere. At Apoſtolus probationem & diiudicationẽ requirit, propoſito grauiſſimo aduerſus indignè accedentes iudicio. Ergo alium eſum præter illũ ſpiritualem requirit, corporalem videlicet, ad quem oporteat vnumquemque ſeſe per illum ſpiritualem diſponere ac præparare, vt iram Domini ex indigno videlicet Chriſti corporis eſu conciliatam vitare poſſit. Denique ſi ſpiritualiter duntaxat edi poteſt Chriſti corpus, ſi fides defuerit aut vires ſuas non obierit, non iam indigna erit corporis manducatio ſed nulla.* Hoc tuum igitur eſt argumentum cuius nullam à me prætermiſſam partem opinor. Sed quàm inepte, quæſo, diſputas? *Si ſola fide, ſpiritualiter corpus Chriſti editur, non edunt illud qui fide carent.* Concedo. *Ergo non eſt iſta manducatio indigna ſed nulla.* Concedo. *Non rei ſunt igitur iſti corporis & ſanguinis Domini.* Nego. Nam qui ne ſumere quidem dignatur, & ſacra quæ ſumere ſe ſimulat, tanquam canis & porcus conculcat, annon magis peccat quàm qui ſumit quidem, ſed non ita prorſus vt debuit comparatus? Sed tu præſupponis quod falſiſſimum eſt, nempe, *Edere indignè panem hunc* atque *bibere hoc poculum* idem valere atque *Edere ipſum reale corpus Domini & Bibere ipſum realem ſanguinem Domini indignè*, quod tu Paulo affingis: ridiculè id quidem ac etiam impiè, quum Sacramentum, id eſt ſignum, & res Sacramenti ſignificata, duæ res ſint, ſemper quidẽ à Deo minimè mendaci, duobus tamen diuerſis modis & duobus obiectis, propoſitæ: ſignum

gnum videlicet corpori, corporeo & externo modo accipiendum, res autem significata menti, spiritu & fide spiritualiter sumenda. Deinde etiamsi sola fide corpus editur, non tamen consequitur dignè semper edi à fide præditis, ac proinde superuacaneam esse Pauli doctrinam de suiipsius probatione, & inanem illam grauissimi reatus denuntiationem. Nam qui ipsam quoque rem Sacramenti, fideli quidem, at non ita vt decuit comparato animo percipit, grauem pœnam meretur: neque ex eo tamen altera ista tua commentitia præsentia vel manducatio idcirco statuitur. Sed tibi videntur quicunque panem hunc edunt, & poculum hoc bibunt, siue dignè siue indignè accedant, corpus Domini accipere, & Domini sanguinem bibere. Ego verò quid tibi videatur non laboro, sed quid Apostolo videatur, id demum probo. Apostolus verò non corporis, non sanguinis, sed panis huius & poculi huius indigne sumpti meminit: ita videlicet significans vnde hic reatus promânet, nempe ex eo quòd & Sacramenta (panem hunc videlicet & hoc poculum) & rem ipsam Sacramentorum, id est, sacramentaliter oblatũ Christum, vel prorsus infidelitate sua sint aspernati vel socordia ac non satis accurata pœnitentia sumentes, Deum non leuiter offenderint. Audiamus tamen quibus pigmentis spectrum istud tuum adornes.

*Ex commixtis*, inquis, *corporis & signi proprietatibus liquet nusquam à Paulo separari signum à corpore, nec contrà, quoties de Eucharistia loquitur.* Enimuerò, mi homo, vel tace, vel sic loque-

re vt intelligaris. Quas tu verò mihi panis, quas corporis proprietates narras, qui panem quidē ſua ſubſtantia, corpus verò ſua viſibili ſpecie, & organici veri corporis humani dimenſione ſpolies? Sed hoc voluiſti ſignificatum opinor, ſic inter ſe ignum (ſiue ſit illud verus panis ſubſtantialis, ſiue panis in chimæram transformatus) & corpus Domini conflari, vt reipſa vnum cum altero ſit eodem loco inſeparabiliter ſitum, ac proinde vnum cum altero corporeis organis neceſſariò ſumatur. Sed quomodo tandem id probabis? nempe poſtquam veritatem corporis Chriſti, & ipſius veram à nobis emigrationem, vſque ad alterum ipſius aduentum, Sacramentorum denique finem funditus euerteris. Ne quid tamen hîc tuo more calumnieris, quaſi veſtra illa reali & ſubſtantiali excluſa coniunctione ſeu ferruminatione, ſigna vacua ſtatuamus, ſcito nos vſque adeo veracem eſſe Chriſtū agnoſcere, vt in legitima Cœnæ ipſius actione nunquam corporaliter offerri corporalia ſigna credamus, quin id quoque quod verbo ſacramētali exprimitur, & externorum ſymbolorum analogia repræſentatur, veriſſimè quoque menti ſpiritualiter per fidem ſumendum proponatur: quod noſtrum reſponſum quò magis ridebis, eò magis omnibus exercitati in ſacris iudicij hominibus deridendum te ipſum propinabis. Pergis tamen & inquis, *Paulum dicere in eo peccari, quod panis nō exiſtimetur corpus Domini, ſed aliquid aliud ab ipſo corpore cenſeatur.* Imò nequaquā fuit vecors veſtro more Paulus qui ſignū pro re acciperet, quod meritò ridet Auguſtinus: neq; *Non diſcernere*

*discernere corpus Domini* apud Apostolum declarat *panem aut panis species pro ipso corpore Domini non habere*, sed propositū sacramentaliter Christi corpus, quantæ sit dignitatis munus non attendere: neque Sacramentum, rem tanto vsui destinatam, à re aliqua vulgata distinguere.

Quid plura? Contendis etiam aduersum nos *multò minus peccare qui Christum repellat, quàm qui indignè recipiat.* Idque probas *centurionis exemplo qui Christum repellendo ne peccarit quidem, quum multentur ac digni censeantur in quos pulsis pedum excutiatur qui admissum hospitem Christum indignè exceperint.*

Deus te compescat Sophista. Nam quæ hæc impudentia est? Agimus de iis qui Christum in mensa ad quam accedunt oblatum non sine impietate aspernantur: tu verò nobis Centurionē, quo nullus maiorem in Israele fidem habuit, pro exemplo proponis. Sed diuino planè iudicio factum video vt hoc exemplum sumeres, quo vix vllum profectò ad vestrum delirium redarguendum magis appositum deligi potuit. Nam à vobis quidem Christus, nisi realiter præsens eius corpus non modo inter manus & dentes, sed etiam intra vestra viscera, certè non admodum honesta domicilia, statuatur, absens & inutilis existimatur. Quid verò contrà Centurio? Nō opus est, inquit, vt domus meæ tectum corpore subeas, sed quanuis corpore absens, iube tantū quid fieri apud me velis, & mox fiet: quod Centurionis dictum Christus, & verbo & re comprobauit. Et certè tantùm abest vt Centurio Christum sic loquens repulerit, vt contrà vera

fide totum sit illum amplexus quæ in nobis hodie quoque requiritur, siue ad verbum nudum, siue ad Sacrmenta accedamus. Contrà quum eos dicis pulueris pedum excussione multari qui Christum hospitem indignè receperint, rursum confidentiam tuam summam ostendis, vt qui ne hîc quidem locos illos Euangelistarum consulueris vt qui disertè de iis loquantur qui missos à Domino non exceperint, neque sermones eius audierint. Rursum igitur pudendum errorem hîc admittis, ea videlicet conscientia qua miseræ plebi quiduis quasi ex Dei verbo depromptum dictare consueuistis, Cæterum illud ego non inficior turpius eiici quàm non admitti hospitem. Sed rursum hic fucum facis. Nec enim de iis tantum agimus qui exceptum repellunt ad vomitum reuersi quorum conditio posterior plerunque est priore deterior & quorum fides est σκιάγραφος vel fidei potius simulachrum, quique Christum vix in vestibuli m ipsum intromittũt: verùm de iis etiam qui vera fide præditi, domũ ipsam vsque, at non ita vt fieri potuit ac debuit ornatam Christum admittunt, & postea castigati, agnito errore, domi retentum colunt & obseruant. Quod autem subiicis *Caluino authore Sacramentum fieri ex pane & corpore Domini seiunctis quantum calum abest a terra, per fidem & intẽtionem sumentis, non autem verbis Christi prolatis ex quo consequatur infideli seu fide carenti ne effici quidem Sacramentum nedum vt ei offeratur:* in eo planè Diabolum, id est, mendacissimum calumniatorem agis. Nam docemus quidem ex certissima Euangelii historia, corpus Christi nunc

nũc alibi nõ esse, neque alibi ad alterum vsque ipsius aduentum futurum quàm supra omnes cælos, in quos ascendit, siue (vt ait Augustinus) vsq; adeo hic in terris nunc non esse (secundum corpus) vt etiã è cælis venturus speretur, ac proinde si de præsentia locali agatur, tanto nunc spatio corpus Christi, quod in cælorum cælis est, à pane qui in terris adest abesse, quanto cæli cælorum à terris absunt. Docemus & illud, magicæ incantationis esse prolationi certorum verborũ confectionem Sacramentorũ tribuere. Sed quæ tu calumniator ex istis colligis, nempe seiungi à nobis panem à corpore vt vacua signa sint, & confectionem Sacramentorum siue, vt apertius loquar, mutationem rei communis in Sacramẽtum, fidei sumentis à nobis tribui vt absque fide sumentis ne signa quidem sint, abs te impudentissimè confingitur. Primum enim, vt de illo prius dicam, ad effectum fœderis vel pacti cuiuscunque vel primùm ineundi seu cõfirmandi vel aliquo modo renouandi, quicquam facit rei de qua in fœdere aut pacto agitur, vel præsentia vel absentia quod ad loci situ attinet, imò ne rei quidem ipsius existentia necessariò requiritur. Quid enim obstat quominus tam possim longissimè, imò etiam nondum extans aliquid quàm præsens aut iam in rerum natura extans donare? &, vt ad nostram controuersiam propius accedam, quid obstat quominus absentem etiam maritum sibi acquirere quæpiam mutuo consensu possit? Nec enim ignoras nostram, id est, Ecclesiæ cum Christo, coniunctionem mysticam ac spiritualem cum corporali coniugio sic passim comparari, vt hæc illius esse quædam imago meritò vi-

dcatur. Quod ſi excipias, ſicut ad plenã conſummationem coniugii, & vt duo vna caro euadant, præter illum conſenſum à quo pendet ipſius cõiugij vinculum requiritur realis corporum copula, ſic ad hoc de quo loquimur Eccleſiæ, atque ſingulorum eius membrorum & Chriſti connubium, requiri corporis Chriſti realem præſentiam & contactum qui externa reali manducatione fiat: reſpondeo hoc ipſum eſſe in quo plurimùm hallucinaris, vt qui à corporalibus ſpiritualia non diſcernas. Cedo igitur, cur illa corporum realis & terreſtris coniunctio ad illud coniugium requiritur? non quia corpora ſunt, ſed quia matrimonii illius finis eſt per mutuam illam corporum realem copulam genus ſuum propagare. At in hoc altero coniugio illud ſpectatur vt myſticum & merè ſpirituale corpus coaleſcat: ac proinde vt finis eius ſpiritualis eſt, ſic ſpirituum vtrinque organo & inſtrumento coniunctio hæc fiat oportet, quanuis non ſoli ſpiritus, ſed ipſi toti homines (nempe fideles) cum Chriſto homine ſic arctiſſimè connectantur: quemadmodum ſi nõ ex corporum ipſorum ſed ex ſolarum mentium cõnexu hominum corpora propagarentur, copula illa realis corporum minimè ad terreni coniugii conſummationem deſideraretur, ſed ipſo ſolo animorũ cõſenſu perageretur. Ad iſtam autem perſonarum quæ mente & voluntate fit copulationem nequaquã realis contrahentium eodem in loco præſentia neceſſaria eſt, quũ longiſſimè etiam abſentes in eã rem de qua agitur (agitur autẽ hîc de mutua

vnius

vnius cum altero veriſſima quidem ſed ſpirituali ad ſpiritualis vitæ fruitionem communione) vere & efficaciſsimè conſentire poſsint. Veriſsimã igitur & arctiſsimam noſtri cum ipſomet Chriſto coniunctionem qua fit vt omnem ſpiritualẽ ſenſum ac motum ex ipſo ſicut membra ex capite hauriamus, & quæ quotidiana verbi auditione & Sacramentorum legitima ſumptione in dies magis ac magis adſtringitur, ipſe Spiritus ſanctus nullo locorum obſtante interuallo, interueniente tum Chriſti ipſius ſeſe nobis inſinuantis voluntate, verbo & Sacramentis teſtata, tum accedentium fide, illum ad ſe vltrò venientem amplectente. Deinde quum Chriſtus ille verus ſit Deus inſeparabiliter ſimul & hypoſtaticè cum aſſumpta carne vnitus, qui proinde nullo loco ſecundum deitatem abeſt, concedam quoque tibi non inuitus carnem ipſam Chriſti à ſignis ipſius ſacramentalibus in terra poſitis mininè abeſſe, ſed καθ' ἅλλο, ſiue ſecundum totum Chriſtum non ſecundum totum Chriſti, id eſt, quatenus cum deitate à qua aſſumpta eſt, hypoſtaticè cohæret, ne me forte vel cum Brentio Eutychianum factum putes, vel nobiſcũ ἀσύγχυτα ponere, id eſt, Chriſti carnis proprietates ſimul ſtatuere & abolere. Quod ſi demum excipias ſic non aliter Sacramentis quàm aliis vbique locis Chriſtum præſentem ſtatui, concedam ita quidẽ videri, ſed plurimùm quod ad finem & effectum attinet hanc ab illa præſentiam differre, adeò quidem vt vniuerſalis illa Chriſti perſonaliter conſiderati præſentia ſit veluti quoddam

abſentiæ genus. Quamobrem etiam Chriſtus de Patre & de ſe loquens, ad eum (inquit) veniemus & manſionem apud eum facieimus, quum tamen propriè loquendo venire aliquò dici nequeat qui vbique eſt præſens. Sed verũ eſt quod dicit Auguſtinus, eſſe quidem Deum vbique ſed in ſolis ſanctis habitare. Sic vbique etiã reipſa adeſt Chriſtus perſonaliter, non autem ſecundum humanitatem diſtinctè cõſideratus, ſed in ſolo verbo & ſolis Sacramentis adeſt electis ſuis vt ſeſe illis inſinuet. En tibi quomodo, & quo ſenſu corpus Chriſti ab illo pane, & ſanguinem Chriſti ab illo vino ſeiungamus.

Sequitur alia nihilo minor calumnia. *Prædicant*, inquis, *Caluiniſtæ abſentia effici præſentia per fidem & ob id per eandem nobis reddi præſentiſſimũ Chriſti corpus toto cælo à nobis diſſitum. Infideles igitur quum eiuſmodi deſtituantur fide non habebunt, quo illis offeratur corpus.* At tu rurſum vide ſi potes quàm calumniose nobiſcum agas. Nam aliæ ſunt profectò offerentis ſeipſum Chriſti quàm hominis Chriſtum recipientis partes. Quo igitur pudore quod de hominibus Chriſtum fide recipientibus dicimus, ad Chriſtum ſua potentia & bona voluntate ſeipſum offerentem traducis? Si Sol ſeſe tibi è cælis conſpiciendum præbeat, tu verò oculos clauſeris aut aliò conuerteris, obtulerit quidem ille ſeſe tibi, &, quod ad ipſum ſe offerentem attinet, quanquam longo locorum interuallo à tuo corpore diſſitus, tibi tamen præſentem ſeſe ſtiterit: at tibi tamen quod ad eius perceptionem attinet præſens non fuerit. Sic Chriſtus cuius corpus ſupra cælos nunc eſt & alibi

libi nuſquam, ſeſe nobis vnico fidei oculo aſpiciendum, ac etiam eiuſdem fidei manu verè prehendendum quibuſuis velut in ſpeculo. Verbi & Sacramentorum offert. Quòd ſi quis vel illis fidei oculis careat, vel eos nullo modo adhibeat, non magis erit ei præſens quod ipſi offerebatur, quàm ſi nunquam oblatum eſſet. Itaque quod olim Piſsiaci & ſemper alias ſenſimus & ſentimus de fidei efficacitate ad hoc vt corpus Chriſti ſit in Cœna præſens, calumnioſè à Spenſæo primùm, deinde à te & aliis deprauatum eſt quam quod diximus ſumentium reſpectu, ad Chriſtum offerentē tradaxiſtis. In ſumma, quid efficit vt quod verbum auribus & Sacramenta oculis quibuſuis foris renuntiant, verè quoque ſpiritualiter, & cōmunicationis ineffabilis (non autem loci) reſpectu præſens præbeatur? ſola Chriſti nunquam mendacis potentia & voluntas, verbo ac ſignis ſacramētalibus teſtata. Quid autem efficit vt res in ſe ita vti diximus quorumuis accedentium menti ſpiritualiter oblata, à ſolis tamen fidelibus mente cernatur & percipiatur, ac proinde, hoc reſpectu, ſolis illis ſit præſens? fides per Spiritum ſanctum donata & per eundem efficax. Quæ ſubiicis de diuerſis indignorum ſpeciebus, nulla indigent refutatione, niſi in eo quòd omnes quātumuis indignè accedentes vis nihilominus corpus & ſanguinem Domini, id eſt, res Sacramento ſignificatas recipere, quod tu quidem nunquam probabis. Nam quæ tu citas ex decimo capite nihil ad aliquem Corinthiorum in Cœna Domini errorem pertinere antea oſtendimus. Deinde quod adiicis

non posse apud Paulum de pœna tẽporatia intelligi Iudicii nomen, si ad id respicias quod peccata etiam leuissima merentur nisi pœnitentia & fide interueniente eluantur, tibi concedo: sin verò ad pœnas referas quibus consueuit Dominus suos non vt seuerus Iudex perdere, sed vt pater castigare, perperam id abs te fieri dico. Nam quoddam etiam est iudicium quod incipit à domo Domini 1 Petr. 4.7. Illud autem omniũ ineptissimè scripsisti, probari nobis vestrã sententiã, qua docetis *quædã esse peccata quæ non æternis tormentis sed in isto seculo (vel etiam futuro) transituris, puniantur, ne cogamur illa in altero seculo luere.* Imò absit vt vel vlla alia quàm crucis Christi pœna tolli peccata dicamus, aut remissionem peccatorum in Christi sanguine adeptis alias superesse pœnas in præsenti seculo satisfactorias luendas somniemus. Et quod ad futurum seculũ attinet, auertat à nobis Dominus insanam & impiam purgatorii fabulam, vbi satisfactio pro peccatis vlla persoluatur. Imò peccata omnia suapte natura mortem æternam mereri ex Paulo didicimus, quam pœnam vnicus pro credentibus Christus totam penitus persoluit: idcirco nec perituris vnquam electis, nec reprobis seruandis.

Venio ad illud vnde secundo loco tuam illam externam oris manducationem probari liquidò posse credis, nempe ex eo quod *Apostolus condemnationi addicat indignè manducantes, vt grauissimum hoc scelus esse oporteat: deinde ex eo quòd tam anxiè de præparatione verba faciat, qualis ne q, ad agni paschalis, neque ad panum propositionis e-*

*sum*

*ſum requirebatur. Imò ne externam quidem illam mundities & ceremoniam ad mannæ eſcam, aut potum aquæ ex petra quæ etiam iumentis profluebat, requiſitam fuiſſe. Quinetiã iſtam ſuipſius examinationem ne paruulis quidem baptiſandis irrogari, quæ tamen in illis fuiſſet neceſſaria,* ſi, vt tu nos ſentire dicis, *Agnus paſchalis, panes propoſitionis, manna & potus aquæ ex petra, tam fuiſſent efficacia ſigna corporis & ſanguinis Domini quàm eſt Euchariſtia & nunc in Baptiſmo requireretur, ſi præ Baptiſmo nihil plus de corpore & ſanguine Domini contineret.*

Sed hîc rurſum vide quàm vana hæc ſint argumenta. Primùm enim falſiſsimum eſt quod dicis parẽ à nobis efficaciam veteribus ſignis & noſtris tribui. Deinde ineptè colligis ſi qua inter illa & noſtra eſt imparitas, eã poſitã eſſe in re ipſa ſignificata. At nos è contrario Apoſtolum ducẽ vt & Auguſtinus ſequuti, vetera & noua Sacramenta docemus re paria vel potius eadem fuiſſe, ſed ſignificantiora & auguſtiora: quod omnino ſtatuendum eſt tum ob myſteriorum ſalutis maiorem infinitis partibus in nouo fœdere peſpicuitatem, tum ob analogiam Sacramentorum miris modis euidentiorẽ. Collapſa igitur tui argumenti baſi, quod ſuperſtruxiſti corruat oportet: neq; mirũ eſt quò propius & euidentius Rex ipſe nobis ſeſe patefacit, eò expreſſius moneri ſubditos vt dignè principem ſuum excipiant. Sed de hoc præterea non deeſt quod appoſitè, vt ſpero, tibi reſpondeam. Obſecro igitur, tam anxiæ illæ immundorum ad ſacrificia accedentium purificationes externæ, an vana fuerunt ſimulachra, ac non potius totidem vehementiſſimæ, ipſísque

externis ſenſibus repræſentatæ eius ipſius probationis, pœnitentiæ, ac fidei conciones, quas ad legitimum vſum Cœnæ requirit Apoſtolus? Quid? illæne increpationes aduerſus incircunciſos corde, illa horrenda fulmina toties aduerſus eos cõtorta qui ad ſacrificia impuris animis accederent, vanáne fuerint terriculamẽta? & ne excipias intra verba conſtitiſſe has minas, illa filios Aaronis deuorans flamma, illa Oziam feriens dextra Altiſſimi, quòd arcã præcipitem ipſe ad hoc non ſanctificatus fulcire tentaſſet, non ſatis demonſtrant patres non minore quàm nos religione accedere ad ſuos ſacramentales ritus iuſſos? Quid quòd ſub Ezechia agnum paſchę à non ſanctificatis comeſum iiſdem prorſus pœnis, morbis videlicet vltus Dominus dicitur 2 Paralipom. 30.18,& 20. quibus aduerſus Corinthios vſum eſſe teſtatur Apoſtolus? De manna verò & aqua ex petra profluente idem nõ fuiſſe mandatum atque de rebus propriè ſanctificatis, nemo mirabitur, qui res illas ſic fuiſſe ſpirituales (ſic enim nominat Apoſtolus, id eſt, ſacramentales) expenderit, vt proprius illarum vſus eſſet quotidianus & communis, & Sacramenta non eſſent niſi κατὰ συμβεβηκός. At è contrario panes propoſitionis propriè erant Sacramenta, vt & victimarum carnes: & corporum alimento κατὰ συμβεβηκὸς ſeruiebãt. Itaque nulli immundo iſtas vel contingere citra horrendam pœnam, illas verò ſolis mundis Sacerdotibus edere fas erat. Denique quod ad Baptiſmũ attinet, in baptiſandis infantibus noſtris maiorem quàm olim in eorundem circunciſione non requiri præparationem

tionem nemo sanæ mentis mirabitur, quum & horum & illorum par ætas non patiatur. In adultorum verò, id est, proselytorum circuncisione requisitam fuisse veræ religionis professionem etsi non legimus, dubitari meritò non potest. In Baptismo itidem adultorum multò etiã exquisitiorem & accuratiorem probationẽ quàm in Eucharistia requiri consuetam, ex catechesibus veterum, & additis postea infinitis penè ritibus apparet, vt si inde faciendum sit de præstantia Sacramẽtorum iudicium, Baptismus Eucharistiæ videri possit anteponendus, sicuti certè plus est nasci quàm semel natum nutriri.

Tertium tuum argumentum est huiusmodi. *Vt is qui purpuram regis aut imaginem violauit, reus alicuius culpæ agatur quæ ad regem referatur, non tamen ei fuerit æquandus qui in ipsum regem manus iniecerit, aut alioqui maiestatem ipsam læserit. Num etiam Iudæi, si duntaxat nudam figuram corporis Domini in crucem sustulissent, tot pœnarum rei agerentur quot nunc aguntur, ex eo quòd verum & substantiale Christi corpus tam indignis modis excruciarunt? Nemo quoque vnquã dixit immeditata Mannæ manducatione aut panum propositionis corpus Christi violari, aut interfecti Christi crimenà Iudæis admissum, & damnationem certissimam inde sequutam. At Paulus indigne Eucharistia vtentes statim æternæ morti obnoxios pronuntiat, & illorum peccato & damnationi exæquat, qui Christum ipsum vitæ & Sacramentorum authorem nefariè trucidarunt, aut contumelia & irreuerentia affecerunt. Itaque Eucharistiam apertissimè distinguit Apostolus à puris signis & symbolis corporis & sanguinis Domini.*

Respondeo à nobis quoque non omnia sacra signa pro Sacramentis propriè sic vocatis haberi: Quædam enim ex illis duntaxat fuerunt typi vt arca Noe, Agar & Sara, transitus maris: quædam etiam rerum præteritarum μνημόσυνα, vt mannæ in vrna asseruatio, Aaronis virga, acerui multi lapidum, altaria quoque nonnulla: quædam futurarum rerũ maximarum εἰκόνες, & σκιαγραφίαι, de quibus copiosè in Epistola ad Hebræos agit Apostolus: quædam denique propriè vocata Sacramenta quæ promissiones habuerunt adiunctas, vt circuncisio, sacrificia, purificationes & quæcunque sunt eiusmodi. Itaque quò sacratius, augustius, expressius fuit aliquod signũ, eò seueriorem pœnam merebatur eius contemptus aut violatio. Itaque contemptor Circuncisionis, aut impurus accedens ad sacra, exterminatur ex populis suis: qui sabbatum violauit iubetur lapidari, & huiusmodi terribiles minas horrenda iudicia sunt subsequuta. Quantò maiores igitur pœnas merentur nouorum Sacramentorum cõtemptores, quæ tot modis præstant veteribus, & in quibus ipsemet Christus non iam venturus sed exhibitus cum omnibus suis beneficiis quasi oculis ipsis conspiciendum, & quasi manibus palpandum se præbet? Sic enim argumentatum Apostolum non ignoras Hebr. 2, 2. & 10, 28. Itaque Sacramentorum quoque contemptores ferit istud tonitru, *Qui non crediderit condemnabitur.* Sed quàm est, quæso, ridicula hæc consequutio? *Adiudicantur æternis pœnis contemptores Eucharistiæ, distinguitur pœnæ seueritate Eucharistia à nudis figuris* adde etiam si libet, *à cæteris Sacramentis, Ergo in panis transsubstantiati specie*

*corporaliter & realiter adeſt Chriſti corpus*. Et tamen hæc tua eſt ſolidiſsima vel potius ſtolidiſſima Theologia. Reſpondeo præterea, quanuis æternas pœnas ſæpe Dominus in ipſa quoque irę vaſa patientiſſimus, in caſtigationes, pro bonitate ſua, cõmutet, interdum leuiores interdũ grauiores: & futuræ non ſint omnes damnatorum pœnæ pares, vt teſtatur Chriſtus Matt. 11, 24: tamen vniuerſalem eſſe hanc ſententiam Apoſtolicam, Stipendium peccati mors eſt. Etenim ſi originalis ſola corruptio facit vt filii iræ, ac proinde ignibus æternis digni naſcamur, quanto magis id merentur in quibus radix illa amariſsimos actualium peccatorũ fructus ediderit? Nullum ergo peccatum tam leue eſſe dico cum aliis grauioribus collatum, quin propterea quòd aduerſus infinitam Dei maiſtatem commiſſum eſt, infinitam quoq; pœnam æternæ mortis mereatur: & illud venialis & mortalis peccati diſcrimen ſi aliter intelligitis, diabolicũ & execrabiliſſimũ eſſe dogma affirmo. Quemadmodũ autem omnia peccata natura ſui lethalia ſunt, ita (vnico illo excepto quod nunquã remittitur) omnia in eo per fidem apprehenſo qui ſolus tollit mundi peccata, venialia fieri & gratis condonari docemus. Chriſtus verò cum ſuis beneficiis, tum in verbo ſimplici tum in Sacramentis per fidẽ magis ac magis apprehendendus proponitur. Ergo ſiquis Chriſtũ nobis loquutũ, & pro nobis paſſum, vllo modo in verbo vel Sacramẽtis contẽnit, iræ Dei fit obnoxius: & hoc eſſe dico, Reũ fieri corporis & ſanguinis Domini: quod tamẽ ſpecialiter in prophanatores Euchariſtię dicitur propter

quòd ſpeciali quadam analogia, corpus & ſanguis Domini ſpiritualiter per fidem participanda præbentur, & mortem Domini cum gratiarũ actione profiteri in illa actione iubemur. Peccẽt igitur grauius qui regem ipſum quàm qui imaginem eius violant: peccarint multò grauius Iudæi Chriſtum ipſum crucifigentes quàm ſi fœneam eius imaginem ſuſpendiſſent, vtrinque tamẽ pœna capitalis ſtatuitur. Et quorſum hoc ad tuam illam præſentiam & manducationem ſtabiliendam? Quod autem Chryſoſtomus præſertim & Græcus ſcholiaſtes Apoſtoli verba ſic accipiunt, vt qui indignè accedunt ſimiles dicãtur carnificibus, qui Chriſtum ipſum crucifixerunt, non efficit tamen quod tu contendis. Aliud enim eſt ſimilẽ eſſe quàm parem, nec etiam quiſquis par eſt, in omnibus eſt æqualis.

Quarto loco vteris hoc argumento, *Si non ſignum carnis & ſanguinis ſed caro ipſa & ſanguis conferunt vitam, ita quoque non ſignum ipſum indignè ſumptum parit mortem, ſed ipſa caro & ſanguis, id eſt, Chriſtus ipſe & corpus eius, alijs cedunt in vitam, alijs in mortem: alijs in reſurrectionem, alijs in ruinam, propter variam manducantium diſpoſitionẽ.*

Reſpondeo multiplex eſſe in hoc argumento peccatum. Ac primum quidem in eo quòd vel hunc panem & hoc vinum à rebus vulgaribus non diſtinguas, vel quæ ſit dignitas ſacramentalium ſignorum non animaduertas. Dico igitur non temerè ſacramentalia ſigna à rebus communibus diſtingui, ac proinde in illorum indigna vſurpatione duplicem reatum contrahi: vnum videlicet ac præcipuum relatè ex rerum ſignificatarum

catarum contemptu, tantò maiorẽ quantò pretioſiores illæ ſunt: alterùm verò abſolutè ex eo quòd res ipſæ tanti momenti ſacro vſui diuina inſtitutione deſtinatæ, aliter quàm deceat tractentur. Quũ autem vterque hic contemptus in Deũ ipſum directè redũdet, meritò Iudicii pœnã hoc vtrunque ſcelus mereri pronuntiat Apoſtolus, de poſteriore quidẽ agens his verbis, *Qui manducarit indignè*, &c. de altero verò hac formula, *Non diſcernens corpus Domini.* Hoc tuum igitur non leue peccatum eſt in eo quòd vſque adeò pro nihilo nunc quidem habes ſignorum ipſorum contemptum, vt totum reatum ad rem ſignificatam referas, ſicuti mox oſtendã. Neq; id mirum quum pro ſignis in Cœna Domini nihil præter res quæ nuſquam ſunt, inanes videlicet ſpecies quas vocas, ſiue accidentia ſine ſubiecto, conſtituas. Ex hoc autem errore alter naſcitur multò etiam grauior, quòd Chriſtum ipſum vt vitæ ita etiam mortis cauſam facere omnino videaris: in quo dupliciter rurſum falleris. Nam & ad vitam & ad mortem concurrunt quidem Sacramenta vt media quædam, (ſicut & verbum ſimplex) non tamen quaſi vim illam viuificã, ſibi propriam, Deus ſignis ipſis inſerat, quemadmodum (verbi gratia) panis vim habet alendi corporis à Deo inditam (qua in re ſcholaſtici nonnulli veſtri valde hallucinantur) ſed quatenus & verbo & ſignis externis, veluti interpoſito pignore, ad animos noſtros certiores de bona ſua in nos voluntate reddendos vtitur, quod beneficium impune contemni non ſinit. Verùm illud intereſt quòd ad vitam proſunt

ſuo modo, ex ipſo ſignorum vſu, mors autem nõ ex ipſis vllo modo, ſed ex vna abutentium culpa emanat. Ad rem autem ſignificatam, id eſt, ad Chriſti corpus & ſanguinẽ, ſiue ad ipſum Chriſtum quod attinet, aio nunquam illum niſi ad vitam percipi, nec poſſe aliud quàm vitam & ſalutem ex ipſo in nos emanare: ac proinde ruinam & vltimum exitium non ex ipſo Chriſto indignè percepto proficiſci, ſed tum ex ſignorũ abuſu, tum multò magis ex eo quòd Chriſti corpus & ſanguinem recipere nonnulli neglexerint. Itaque quum ex verbo διακρίνειν colligis tuam illam ſpecierum panis & corporis coexiſtentiam his verbis vtens, *Antequàm hic panis diſcernatur eſſe corpus Domini, oportet vt ita ſit, alioqui falsò diſcerneretur*, non modo ridiculus, ſed etiam falſarius deprehenderis. Nec enim ſcripſit Apoſtolus μὴ διακρίνων τὸν ἄρτον τοῦτον ἤτοι τὸ σῶμα τοῦ κυρίου, *non diſcernens hunc panem eſſe corpus Domini*, ſed *Non diſcernens corpus Domini*, id eſt, neque hunc panem conſiderans non vt communem panem manducandum, ſed vt corpus ipſum Chriſti ſibi apponi: neque rei tantæ, quanta eſt ipſe Chriſtus, præſtantiam attendens. Totum iſtud igitur τοῦτον τὸν ἄρτον ἤτοι *hunc panem eſſe* commentitium eſt gloſſema à te excogitatum, quod & ipſa à te citata exempla verbi διακρίνειν tranſitiuè poſiti docere te potuerunt. Nec tamen etiamſi ſcripſiſſet Apoſtolus panem hunc eſſe corpus Domini diſceſsiſſet à Chriſti verbis, ſed quę ad tuum ſtabiliendum commentum nunquam te iuuerint, donec duo falſiſsima idoneis argumẽtis confirmaris: nempe vnũ & idem eſſe panem illum &

illũ & corpus Domini,& niſi corpus ipſum Domini eo ipſo loco ſitum eſſe oſtenderis vbi eſt panis ille, & abſque hoc ſuam Sacramento veritatem conſtare non poſſe. Deſcendis tandem ad Pauli locum vbi panem quem frangimus dicit eſſe corporis Domini communionem quem quum ſcriberes ſic me velle attendi vt Euchariſtiæ inſtitutio relinquatur, tum in me certè tũ in tuam ipſius cõſcientiam peccaſti, neque mihi longius abeundũ eſt vt hæc tua fœda calumnia refellatur. Mox enim ipſemet ſubiicis poſtulare me vt ex illius Pauli loci collatione, verba inſtitutionis illuſtrentur. Cedo verò, bone vir, qui vnum locum ex altero exponendum contẽdit, an alterum dici poteſt expungendum ſuadere? Sed age videamus plúſne ſcientiæ quàm conſcientiæ ad hanc diſceptationem attuleris. Tibi non placet Chriſti verba Paulinis illis exponi. Cedo quamobrem? Æquius enim eſt priora poſterioribus quàm iſta ex illis explicari: neque ſa, cilè cuiquam perſuaſeris, ab Apoſtolis obſcurius dicta quæ perſpicuè ex ſuo magiſtro audiuiſſent. *At enim*, inquis, *teſtatur eo loco Paulus ſe obſcurius loqui tanquam prudentibus & myſteriũ Chriſti intelligentibus.* Ergo falſum eſt quod iterum hîc incultas quaſi ſatis non eſſet ſemel erraſſe: *Corinthios nimirùm quos hîc compellat Apoſtolus putaſſe Cœnã Domini eſſe quiddã indifferẽs & inter Chriſti & idolorũ cultũ claudicaſſe, nec pluris æſtimaſſe quàm idolothytum, & quàm ſi nihil aliud eſſet illa quàm alimentũ panis Deo dicati, vt cætera obſoniorum genera quæ ante eſum immolabantur.* Hoccine verò eſt prudentẽ iam eſſe, & myſteriũ

Christi intellexisse? Quid quòd ipse Apostolus testatur Corinthios non fuisse tentatione nisi humana captos? atqui non humana sed planè diabolica tentatione fuissent irretiti, si ab Apostolo tam probè & diligenter edocti, in eam quã dicis hæresin essent prolapsi. Imò saltem meminisse te oportuit quid hoc ipso capite scripsisses, *Apostolum*, videlicet, *fundamenta doctrinæ de Eucharistia his verbis apud Corinthios iecisse, ac proinde figurata loquutione, vt obscuriore videlicet, vsum non videri.* Itaque te à nobis dissentire minimè miror qui tantopere à te ipso dissideas. Sed & in eo rursum Sophistam agis quòd quæstiones permisces. Nec enim isto prioris ad Corinthios Epistolæ decimo capite vel tantillum Apostolus de Eucharistiæ negotio, sed de idolothytorum duabus speciebus agit, quarũ alteram prorsus interdicens & argumentũ à fine & scopo Cœnæ Domini desumens vtitur hac præfatione, vt Rom. 7, 1. *scientibus legem loquor, Vt peritis loquor, Iudicate vos quod dico*, sicuti facere mos est, quoties inter disputandum ex iis quæ sunt aduersariis nota, argumentum sumimus, vt velut à seipsis redarguantur. Nihil hoc verò ad sermonis vel perspicuitatẽ vel obscuritatem probandam pertinet, sed ad repugnantes eò fortius ex ipsomet eorum sensu reuincendos spectat. Quum autem vsque adeò turpiter vt Cantherius in limine impegeris, agè quàm pulchrè progrediare consideremus.

Primùm tibi non placet in his Pauli verbis, *panis quem frangimus est corporis Domini communicatio*, panem pro naturali & materiali positum,

poſitum, *ſed propter tantam quæ interceſſerit mutationem vt panis naturalis eſſe deſierit, cibũ in genere ſignificare*: idque duplici ratione probas. Vna *quod in altera parte Apoſtolus non vinum in ſpecie deſignet ſed potionem in genere, & ei interuenire benedictionem ſignificet, antequam æſtimetur eſſe corporis Chriſti communicatio:* altera *quòd Apoſtolus mox ſcribat omnes Chriſtianos de vno pane & vno calice participare, quod quum de materiali pane & calice non poſſit intelligi (Omnes enim Chriſtiani vnius & eiuſdem materialis panis participes nequeũt effici) de vno Chriſto & corpore eius reali interpretari cogimur.*

Nos verò contrà contendimus panem ipſum materialem hîc & in tota Cœnæ actione intelligi, non tamen abſolutè vt panem, ſed relatè, vt Sacramentum videlicet, & quidem in ſuo vſu conſideratum, extra quem etiam Sacramenti rationem non habet. Itaque repugnantia quam inter nos à te diſſidentes eſſe dicis in nomine panis interpretando, nulla eſt: & apertè calumniaris quum panem dicis à nobis perinde intelligi acſi nihil ei immutationis accidiſſet. Quis enim noſtrûm mutationem ſacramentalem vnquam eſt inficiatus? ſed tibi nimirum mutatio nulla videtur eſſe, niſi ſubſtantia ipſa rei tranſmutetur. Verùm age tuas rationes expendamus. Priorem ineptiſsimam eſſe dico, ex tua ipſius ſententia. Contendis enim Apoſtoli verba ex inſtitutionis verbis explicanda: At Euangeliſtas vt panem ita etiam τὸ ποτήριον itidem nominaſſe ante benedictionem inficiari non potes. Quòd ſi valeret tua conſequutio, nempe non panem naturalem

in ſpecie ſed cibum in genere pro ipſo corpore Chriſti à Paulo ſignificari, quoniam vinum poſtea in ſpecie non nominatur: efficietur hoc quoque, Chriſtum dici ab Euangeliſtis non panem naturalem in ſpecie, ſed cibum, id eſt, corpus ipſum ſuum & accepiſſe & fregiſſe: ac proinde iã tunc panem eſſe panem deſiſſe quum illum acciperet. Deinde quum benedicendi verbum vt apud Paulum ſic apud Euangeliſtas quoque præeat fractioni, conſequetur rurſum, ſi tua ratio valeat, Chriſtum ſemetipſum reipſa fregiſſe. Nam frangere pro diſtribuere apud Euangeliſtas, vt antè dixi, accipere non potes, apud quos diſtinctè dicitur Chriſtus id quod acceperat fregiſſe ac deinde dediſſe. Præterea quũ ex tua ſentẽtia cibus ipſum Chriſti corpus identicè declaret, age, p Cibo ſi Corporis ipſam vocẽ ſubſtituamus & dicamus, *Hoc corpus eſt cõmunicatio corporis mei*, quid ineptius hoc ſermone cogitari poſſit? Sed age pro his verbis, *panis quẽ frangimus*, legamus, *Cibus quem frangimus*, an inde identicam eſſe enuntiationem euiceris, quum verum & naturalem panem à Chriſto acceptum, & diſcipulis ad edendum præbitum conſtet? Relinquitur ergo & panis nomine ſacramentalem quidem ſed verum tamen ac materialem panem, & poculi voce ſacramentale quidem ſed verum & materiale vinum in poculo contentum intelligi. Alteram autem rationem, id eſt, tam puerilem paralogiſmum miror à te iampridem Magiſtro in Iſrael proficiſci potuiſſe. Itaque te ad pædotribas remitto, vbi tibi ſuggeratur, Vnum non modò ad omnia prædicamenta, ſed etiam in ſingulis

in ſingulis prædicamentis & ad genus & ad ſpeciem non minus quàm ad ſingula individua accommodari. Nec te illud iuuat quòd omnes vnum etiam numero corpus eſſe dicimur, myſticum videlicet, quo modo etiam innumerabiles myſtici numero panes, Vnus ſpecie panis myſticus dicuntur.

Non minus etiam lepidè confingis (& quidem citatis in albo tui voluminis aliquot falſiſſimè notatis teſtimoniis) inter nos qui à te diſſentimus non conuenire, ſitne fractio illa, cuius Apoſtolus ſeu Chriſtus meminit, ſignum, an inſtrumentum, an teſſera, an obſignatio, an confirmatio corporis participati, an verò duntaxat conuentionis & fœderis cum corpore participato: quaſi videlicet iſta non ſint ὁμώνυμα, ſi quis ſophiſticen ſeponat. Vt autem iſtarum tibi ineptiarum occaſionem præcîdam, ſcito nos inter ſigna ponere non tantùm illa materiata (puta aquam in Baptiſmo, panem & vinum in Cœna Domini) ſed ipſos quoque ritus ſacramentales à Chriſto inſtitutos: ideóque vos in hoc quoque deteſtari, quòd ſublata fractione pulchrè ſcilicet cauiſtis ne quis huic quæſtioni locus relinqueretur. Fractionem verò panis vt & præbitionem & manducationem propriè accipimus, & à Chriſto his verbis *Hoc facite* mandatam non dubitamus: qua voce tamen Apoſtolus in priore parte, vt benedictionis in poſteriore, totam hanc ſacram actionem ſignificarit.

Sed bene profectò nec abſque diuina prouidentia accidit vt hæc tibi de corporis & ſanguinis voce, de cuius communione

hîc agitur, nobiſcum diſputanti exciderint. *Corpus ipſum Chriſti*, inquis, *hîc à Paulo intelligi omnes aduerſarij fatentur, quorum nullus negat nos reddi participes veri corporis Chriſti, ſed in modo diſcrepant.* Vnde colligis *in ipſa quoque inſtitutione Euchariſtiæ corpus Chriſti pro naturali ſcribi & agnoſci ab Apoſtolo, quum hîc eadem de re ſermo habeatur.* Nos verò & hoc & illud tibi concedimus. ac proinde quoties aduerſum nos antea perinde diſputaſti, & poſtea perinde diſputabis, acſi poſita ſacramentali metonymia nudum panem, aut inane corporis Chriſti ſymbolum nobis dari corruptis noui teſtamẽti tabulis, ſentiremus, memineris te coram Deo & hominibus nimium impudenter nos calumniari. Vos pro ſignis chimæras (ſpecies videlicet ipſis idæ's Platonicis multò inaniores) ſubſtituitis, nos verum panem & verum vinum ſtatuimus. Et vos & nos pro re Sacramenti .Chriſtum ipſum (niſi fortaſſe in vobis fallor) ponitis: ſed vos quidem corpore non corpore, ſiue quanto non quanto, præditum, nos autem verum veris eſſentialibus corporis qualitatibus præditum Chriſti corpus in Cœna ſpirituali vſui & vitæ deſtinata, ſpiritualiter fidei adeſſe, & dari, & ab eadem verè percipi docemus. Vtri igitur integrum Sacramentum ſeruant? *De modo*, inquis, *diſceptatur.* Ita eſto. Ne igitur quæſtiones transferto, & magnum ad diiudicandam totam hanc controuerſiam aditum patefeceris.

Progreſſus ad vocis κοινωνίας explicationem, variis eius acceptionibus allatis quas aliunde ad verbum deſcripſiſti, concludis *accipi poſſe* κοινωνίαν

*via, & pro conſociatione cum Chriſti corpore, & pro traditione ſiue exhibitione, quæ fit per diſtributionẽ panis & calicis, & pro perceptione ſiue participatione qua donamur per panis & calicis ſuſceptionem.*

Videris autem maximè approbare Illyrici ſententiam diſtributum corpus interpretãtis. Caluini verò expoſitionem maximè planam ac perſpicuam explicas admodum ieiunè, ac eò tandem delaberis vt hîc dicas aduerſum nos tria luculenter decîdi. Horum primum eſſe vis, *Indignos quoque corpus Domini participare. Nam*, inquis, *Apoſtolus alloquitur Corinthios indignos, qui putabant Cœnam Domini eſſe aliquid indifferens, nec pluris eam æſtimabant quàm Idolothytum*, Itáne verò oblitus es eius quod paulò antè ſcripſiſti, Corinthios iſtos tam fuiſſe myſterij Chriſti intelligentes? Sed iſtos quos modò tam intelligẽtes modò tam imperitos facis quid tandem docet Apoſtolus? *diſcrimen*, inquis, *eſſe inter Euchariſtiam & Idolothytum.* Et vbi rurſum illa myſterii Chriſti tanta intelligentia, ſi hoc iſti erant docendi? Sed quodnam iſtud eſt diſcrimen? *quod Euchariſtiæ panis perceptio, etiam à Corinthijs indignis & infidelibus* (en rurſum quos antè tutemet intelligentes vocaſti) *ſit corporis Dominici ſumptio, tdolum verò nihil ſit nec Idolothytum, nec quicquam aliud ſecum ferat, quàm habitum quendam & relationem ad dæmones quibus immolatum fuerit.*

Imò verò quis hic ſtupor eſt, te non animaduertere (quod aliquoties iam repetii & vtinam toties repetam vt tandem aliquando ſic ineptire deſinas) non de Cœna ſed de Idolothytorum altera ſpecie inſtitutam fuiſſe ab Apoſtolo quæ-

ſtionem, & ab iis quæ de Cœnæ fine & ſcopo optimè didicerant Corinthii, ſumere certum ad illorum idolothytorum damnandum eſum argumentum? annon & illud animaduertis, eo ipſo quod tu dictũ eſſe ais ab Apoſtolo, prorſus eneruari illam qua vtitur conſequutionem? Etenim ſi idolum nihil eſt, & tam leuiter idolothytum afficit, quænam fuerit religio idolothytis veſci? Annon præterea cogitare te oportuit non temere vt paria conferri ſacra Iſraelitarum ſacrificia cum profanis illis epulis, in eo quòd & his & illis inita fuit cum eo numine ſeu vero ſeu falſo ſocietas cui ſacrificium offerebatur? Sed hîc fortaſſe te offendit tropus in Altaris voce, quam neceſſe eſt pro ipſis apud altare factis oblationibus interpretari. An non vides etiã, quæſo, illud quod Corinthii nonnulli ſuæ illi licentiæ prætexebant, *Idolum nihil eſſe*, quomodo ab Apoſtolo ſic illis concedatur, vt tamen euertat quodipſi inde extruebant? Hæc enim erat Corinthiorũ collectio: idola nihil eſſe quàm mera phãtaſmata, quo ſenſu ab Hebræis הבלי שוא vocãtur, ac proinde quum nec ſanctificandi nec prophanandi vim vllam habeant, nihil à cæteris locis reipſa, ſed ſola idololatrarum imaginatione differre idolæa, neque à cæteris cibis epulas ibi appoſitas. Contrà verò reſpondet Apoſtolus, idola quidem reuera, ſi per ſe ſpectentur, nihil eſſe, ſed (quemadmodum in Pſalmis ait Spiritus ſanctus) coli in illis dæmonia quæ aliquid ſint, & quidem eiuſmodi vt qui vllum cum eis habeat commercium, à Chriſto ſeſe penitus ſeiungat. Itaque illa conuiuia ſolennes eſſe cum dæmoniis pactiones

pactiones, ſicut ex aduerſo præſtita ab Iſraelitis ſacrificia populum cum vero numine eiuſdem menſæ participatione conſociabant. Hæc eſt, inquam, argumentorum Apoſtoli ſeries, & hic ſcopus in hoc capite. Et vt magis etiam noris quantopere ab Apoſtolo diſſentias, tuam & illius ſententiam comparemus. *Indigni etiam*, inquis, *& infideles ex mente Apoſtoli capiendo panem Cœnæ percipiunt carnem Domini.* Quid contrà Apoſtolus? *non poteſtis menſæ Domini communicare & menſæ dæmoniorum.* Menſæ verò appellatione nõ ipſam ligneam ſiue lapideam menſam, non etiam cibos illi appoſitos ſimpliciter ſignificari, ſed ipſum illorum conuiuiorum finem & effectum apparet ex eo quòd alioqui falſa fuiſſet Apoſtoli oratio. Quis enim dubitat quin ad illam vtrangue exteriam menſam, & propoſitos tum ibi tum in Eccleſia cibos, quanuis ſuo maximo damno, accedere potuerint Corinthii, quũ de eo ipſo ab Apoſtolo reprehendantur? Sed ſimul cum dæmoniis & cum Chriſto conſociari (qui erat vtriuſque menſæ effectus) hoc illud eſt quod fieri non poſſe dicit, monens proinde vt, niſi velint illam cum Chriſto initam in ipſius Cœna communionem prorſus abrumpere, ab Idolothytorum conuiuiis penitus abſtineant. Hoc ipſum eſt igitur quod de altera nempe corporali ſcortatione in eadem Epiſtola teſtatur, *Tollens igitur membra Chriſti, faciam membra meretricis?* & de impari cõiugio in altera Epiſtola. *Quæ participatio iuſtitiæ cũ iniquitate? quæ communicatio luci cum tenebris? Quis conſenſus Chriſto cum Belial? & quæ fideli portio cum infideli?*

Quod si fortè excipias aliud esse *percipere Christi carnem*, quàm *Christum participare*, quòd illud de re ipsa, istud verò de ipsius rei fructu dicatur. præterquam quòd refellèris ab Apostolo qui μετοχῆς & κοινωνίας vocibus vtrobique (eodem proculdubio significatu) vtitur: incides etiam in aliud impium dogma, quo & Christus ipse à suo spiritu separatur, & à Christo ipso mors emanare statuitur. Vtrunque enim istud concludendum est si posse quosuis nullo discrimine dicamus Christum ipsum intra se recipere, & tamen ab eo non modò non viuificari, sed etiam occidi, quod de instrumentis quidē quibus Deus vtitur (nēpe de verbo & adiectis signis) meritò dixeris, de ipsomet verò Christo ne cogitari quidem sine impietate potest.

Alterum hoc nostrum peccatum hîc dicis à Paulo redargui, *quòd fide tantùm dicamus nos Christo vniri, quum tamen Apostolus Corinthios alloquens, indignos & qui propter incredulitatem nihil spiritale ab eo reportabant, effici vnum corpus cum Christo pronuntiet, ex eo quod de Eucharistia sumerent. Inquit enim, Vnus panis, vnum corpus multi sumus. Omnes enim ex vno pane participamus.*

Respondeo, primùm quod tu de Corinthiis incredulis nimium impudenter & aduersus temetipsum comminiscēris, falsissimum esse. Respondeo & illud, longè aliud esse de Cœnæ effectis ex ipsa re absolutè, quàm relatione ad homines facta statuere. Sic Euangelium Paulus dicit esse potentiam Dei ad salutem, & scientiam salutis Zacharias, & verbum vitæ passim dici constat, quod tamen alibi dicitur odor mortis ad mortem

mortem vt odor vitæ ad vitam. Sic Christus vocatur qui populum suũ redimit ab iniquitatibus, qui alibi positus dicitur in ruinam vt & in resurrectionem. Disputantem verò Paulum præsertim non aduersus merè incredulos, vt falsissimè cõminiscaris, sed aduersus φρονίμους, qui ea quæ norant non satis animaduertebant cum iis quæ faciebant prorsus repugnare, quis non videt argumentum sumere à Cœnæ fine & scopo absolutè cõsideratæ, vt eos ab illa fœditate quam admittebant, ad puram Euangelij, quod didicerant, professionem reuocaret? Quod igitur Paulus absolutè dicit, idcirco videlicet institutam Cœnam vt omnes in Christo coalescamus, vix dici potest quàm ineptè & ridiculè eò pertrahas, vt dicere videatur Apostolus omnes etiam infideles qui panem istum accipiunt, ipsam quoque Christi carnem percipere. Sed longè grauius est illud erratũ quod tertio loco admittis. Hîc enim fodes Christi membrum fieri, an non ipsa est perceptæ carnis Christi efficacitas? Atqui generaliter dixit Paulus *Omnes corpus vnum sumus:* Ergo si te audimus, Infideles quoque & quantumlibet indigni, si ad mensam Domini accesserint, Christo quoque incorporabuntur. Itaque temerè dixerit Apostolus nullum esse commercium luci cum tenebris, & nullam Christi cum Beliale communionem. Repetis postea, *ne dignè quidem accedentes dici posse vnum cum Christo corpus fieri quia ex vno pane comedant, nisi per panem Christum ipsum intelligamus, quum vnus & singularis panis non possit omnibus Christianis sufficere,* quẽ paralogismum vt risu quàm refutatione digniorem me quidem

rursum attingere puduerit. Nec illud verò solidius est quod tertio loco profers, nempe *si per solam fidem in vnum corpus & in vnum panem abeũt Christiani, minutum videri Apostolum qui fieri id affirmet per vnius panis esum, quoniam non magis id ex Cœna obtinuerint quam extra ipsam quoties fide abundarint.* Quasi verò ei qui multùm habet non possit etiam amplius aliquid dari: quasi id ipsum quod habet quispiam non possit augeri: quasi denique magis ac magis Christo nos insinuari, & quæ iam nobis donata sunt confirmari non oporteat. Et quæso cur non eadem atque tu consecutione concluserò, Si sola Eucharistia Christo nos incorporat, & qui Christi mẽbrum nõ est pereat: necesse est, perire quotquot ante Eucharistiæ vsum intereunt? Item, si quisquis saltẽ dignè ex illo pane vel semel comedit Christo incorporatus est, ergo superuacuũ esse vsũ Eucharistiæ repetitũ? Sed tu nimirũ oẽs istos nodos nobis expedies quinta repetitione vbi de indignis plenius disseres. Ibi igitur & nos rursum tibi respõdebimus.

Tertiũ nostrum, grauissimũ scilicet, peccatum in eo situm esse vis, *quòd corpus Christi non opinamur panis sacramento tanquã vasculo ad nos deferri & deportari, sed à nobis aliunde sumi*, id est, vt planius loquar, quòd nolimus in vana illa vestra chimera, id est, accidẽtibus sine subiecto, (quæ ne cuiusmodi quidẽ esse somnietis effari possitis) nolimus reipsa & substãtialiter, rẽ signatã, id est reale illud Christi corpus contineri, quoniam verum, finitũ, & circunscriptũ eius corpus nõ alibi nunc quã supra omnes cœlos esse, nec ante vltimũ illũ diem ad nos rediturũ ex Domini verbo, (inanissima,

sima, alioqui futura spe nostra) didicimus, ac proinde in cœlis fide quærendũ ac verè apprehẽdendum quod in terra nobis & verbo & adiectis certissimis signis offertur. Quid tu igitur contra certissimam hãc veritatẽ affers? *Si Christi corpus*, inquis, *abesset à sacramẽti pane facile mandi posset panis sacramentũ sine corporis Christi perceptione. Itaque malè Apostolus ex panis sacri fractione & manducatione corpus Christi vera participari colligeret, si participatio hæc à pane seiungi posset.* Illud ego verò cõcedo & præterea dico, etiam si simul eodem loco vtrunq; substãtialiter adesset, & isto tuo merè imaginario vasculo (quid enim cõtineri accidẽtibus etiã subiecto innitẽtibus nedũ subiecto carẽtibus possit?) corpus Christi cõtineretur, non cõsequi tamẽ vt qui vnũ sumit alterũ quoq; percipiat. Quid enim obstat quominus sicut in verbo nudo audiri sonitus, imò & vocũ significatio vtcunq; intelligi, res tamẽ ipsa significata negligi prorsus potest, & simul vasculũ ita sumi vt tamẽ thesaurus intus cõtentus nõ sumatur sed excutiatur: ita quoq; signa sacramẽtalia & externa foris accipiãtur, res tamẽ signata etiã præsentissima, per incredulitatẽ non modò aliter quã decet tractetur, verum etiam prorsus repudietur? Et quæso, quum tibi licere velis spiritum illum Christi viuificum, ab ipso Christo vsque adeo separare vt etiam eius loco vim illam mortiferam substituas nobisne persuaseris arctius cohærere rẽ signatam cum signo, quã viuificãtẽ illam virtutem cũ ipso Christo, qui ipsa vita est? Quod autẽ attinet ad illam Apostoli collectionẽ, iam antea respõdi, differere Paulum absolutè de Cœnæ Domini fine

& ſcopo, quem etiam ſi non attingant (idque ſua culpa) quicunque ad mẽſam Domini indignè accedunt, non deſinit tamen propterea panis quem frangimus (ſi abſolutè conſideretur) eſſe corporis Domini communicatio: ſicuti Ieſus qualis eſt in ſeſe conſideratus reſurrectio ſemper eſt δυνάμει, etiamſi κατ' συμβεβηκὸς & reproborum reſpectu, ruinæ & exitio ipſorum cedit. *Sed inquies, vnum corpus multi ſumus, inquit Apoſtolus, quia ex vno pane participamus.* Concedo, & te hîc quoque adiuuabo. Sic enim videtur ille non abſolutè, ſed relatè, ſiue hominum ipſorum accedẽtium reſpectu, loquutus. Sed illud tibi in mentem venire oportuit, aliud eſſe Eccleſiam totam in genere & vt corpus vniuerſale, quàm ſigillatim & veluti particulatim conſiderare. Dicuntur & verè dicuntur gentes omnes in Abrahamo benedicendæ & benedictæ: an hoc de ſingularibus perſonis verè dixeris, quum ne in ipſa quidem naturali Abrahami progenie ſinguli ex Abrahamo nati comprehendãtur? Dominus dicitur aliquoties populum ſuum repudiaſſe, an idcirco ſingulos reiecit, vt nullum ſit inter Hieroſolymam & Sodomam ac Gomorram diſcrimen? Sic conſiderans Paulus in genere Corinthiacam Eccleſiam non ex indignis & incredulis, ſed quanuis pleriſque næuis minimè carentem, tamen, vt ipſemet initiò teſtatur, ex plurimis omnium donorum ſpiritualium genere inſtructiſsimis hominibus conflatam: & de iis etiam quos contra te diſertè teſtatur non niſi humana tentatione correptos, ex Chriſtiana charitate iudicãs, ac proinde de ſingulis quoque benè ſperans, vnum corpus, inquit, multi ſumus.

Sic

Sic Galatarum Eccleſiam, in qua tamen plerique valdè aberrarant, in genere & καθ' ὅλου conſiderans, Quotquot, inquis, baptiſati eſtis Chriſtũ induiſtis. Itaque vix magis ineptire potuiſti quàm quum hæc ad tuos illos infideles traduceres. Sed præterea quis hæc tua non deteſtetur? *Indignos*, inquis, *in hoc textu alloquitur Apoſtolus, & qui nihil ſpiritale referrent ex Euchariſtia.* Ergó ne vnum corpus cum Chriſto fieri ni...l ſpiritale eſt, quum Chriſti ſimul & Belialis membrum eſſe nemo poſsit? Ergo Paulus ſe iſtis infidelibus accenſens (neque enim ait *Eſtis* ſed *Sumus*) nihil quoque ſpiritale ex Euchariſtia perceperit? aut ſi percepit, non hoc expreſſerit, vt illorum & ſui diſcrimen in re tanti momenti notaret? *Item*, inquis, *ſi non panis ipſius eſus ſed fides & Spiritus eſſet inſtrumentum quo ſocietas contraheretur cum naturali Chriſti corpore, non fierent omnes vnus panis, ſed vna fides vel ſpiritus.* Deus increpet te, Sophiſta: Cedo verò in primis quid hìc vocas panis eſum? ſi panis ſpecierum eſum, Deo & hominibus manifeſtè illudis. Sin ipſius ſubſtantiæ panis eſum intelligis, apertè prævaricaris. Sin per vnum illum panem, vt paulò ante volebas, ipſummet Chriſti corpus ſignificas, proprietatibus panis (quas ne tu quidem explicare poſsis) obuolutũ, præterquam quòd Marcionita, teſte Tertulliano, euaſiſti, fierine poteſt vt ea, quam hìc nobis obiicis vecordia teipſum laborare non animaduertas? Nam, obſecro, eſſĕne Chriſtum cenſetis apprehendendi ſuimet inſtrumentum quod inter nos & ipſum collocetur, vt idem ſit medium & extremum? quod ſi etiam ita eſſe conceſſero,

túne magiſter es in Iſrael, qui neque cauſam efficientem ab inſtrumentali diſcernas, neque inter inſtrumenta præcipua & ὑπηρετικὰ diſtinguas, & ſubordinatas cauſas iis quibus ſubſternuntur minimè repugnare neſcias? Neque igitur Spiritus ſanctus, verè efficiens cauſa magni illius myſterij, id eſt, ſacræ inter Chriſtum & Eccleſiam concorporationis, fidem (apprehendendi Chriſti verè in ſuo genere efficax vnicum inſtrumentum) excludit quod ipſemet in credentibus efficit: neque fides rurſum, aut verbum, aut Sacramenta, (aliud inſtrumẽtorum ſpiritui ſubſeruientium genus) abolet, quum & intercedente verbi auditu oriatur, & Sacramẽtis obſignetur. Chriſti verò corpus etſi, quod ad locorum ſitum attinet, tanto à ſignis interuallo ſeiungimus, quanto cœli cœlorum (vbi eſt, & ad vltimum vſque diem cõmoraturum ſe dixit) à terris abſunt vbi nunc ſumus & vbi Cænam Domini ex ipſius mandato ritè celebramus: abſit tamen vt propterea vel à ſignis quod ad ipſum Chriſtum ſeſe fide ſpiritualiter fruendum offerentem, vel à nobis quod ad ipſius Cœnæ finem & ſcopum, id eſt ad veriſsimam & efficaciſsimam ipſius & noſtri quanuis merè ſpiritualem communionem attinet, ſeparemus.

Ad caput

## AD CAPVT X.

Nullam esse nostræ sententiæ in exponendis Christi verbis absurditatem.

CONsumis hoc caput in sex nobis exprobrandis criminibus cõdẽ certè quo in cæteris pudore, neque abſimili cõſcientia, quorum primũ hoc eſt, *Negare nos in Scripturis ſpectandam aut exigendam proprietatem*. Quid ſi dicerem viciſsim vobis placere vt quæcunque in ſacris literis extant, propria & natiua ſignificatione explicentur? Nẽpe magnam vobis iniuriam fieri clamitares, & merito quidem. Quæ hæc igitur tua impudentia eſt? Reprehendit eos Caluinus propoſito Anthropomorphitarum exemplo qui non ſinunt vt vel tantillum à ſcripto in illis inſtitutionis Cœnæ verbis diſcedatur: Scribit Martyr perſpicuitatem non eſſe temerè obiiciendam, quoniã hanc ipſam multi hæretici quæſiuerint: Dicit Matthæus Smalcaldenſis non valere conſequutionem à *Non ſic dictum eſſe ad Non ſic intelligi*. An hîc tibi iuſta occaſio in nos perinde declamitandi præbetur, acſi, quoniã hanc enuntiationẽ ſacramentali vſitatiſsima metonymia neceſſariò explicandã contendimus, propterea quicquid ſcriptũ eſt in neſcio quę ænigmata, in tropos, in figuras, in allegorias, veſtro denique exẽplo, in tropologicos & anagogicos ſenſus trãsformaremus? Imo quid tu ipſe hac de re ſentis? *Nequaquã*, inquis, *tã tenaciter literæ inhærẽdũ ſuademus quin ab illa recedatur aliquãdo*

*Sed Scripturæ proprietatem ſine exactiore alia Scriptura quæ de re ipſa ex profeſſo decidat, per figuras & humanas rationes opprimere, vel in ſubſidium imaginationis ſuæ ſcripturas alienas à re de qua diſputatur rapere, breuiſſimum eſſe compendium credimus ad Euangelium Chriſti per aſtutiam humanam perdendum.* Rectè profectò: neque nos aliter vnquã ſenſimus, ideóque à te ſæpe iã in eo diſſenſi quòd ad verborum inſtitutionis veram indagandam explicationem, alios Scripturæ locos, in quibus tum in genere de Sacramentis, tum in ſpecie de noſtra cum Chriſto per Euchariſtiam conſociatione, tum etiam de ipſo Chriſto in primis diſſeritur accerſi, neque, quod præcipuum eſt, analogiæ fidei normam adhiberi patiaris. Non fuit igitur hoc tibi in nos dicendum quod falſiſsimum eſt, nolle nos ſpectari verborũ in Scripturis proprietatem: ſed hoc tibi potius probandum, nullã nobis cauſam eſſe cur in iſtis inſtitutionis Euchariſtiæ verbis à propria vocum ſignificatione diſcedamus. Et tamẽ ne id quidem de nobis meritò dixeris, ſi propius res ipſa ſpectetur, vt qui natiuam ſignificationẽ & in ſubiecto & in prædicato retineamus, tropo in ſola attributione conſtituto, quum vos reipſa τὸ ῥητὸν neque in hoc neque in illo ſeruetis. Obſecro enim an panis nomen (quam vocem exprimi ſaltem à Paulo, etiam de Euchariſtiæ ſubiecto conſecrato, inficiari non potes) propriè conuenire inanibus panis ſpeciebus, ſeu proprietatibus, ſeu accidentibus dicere audeas? num etiam corpus verum & organicum propriè vocaueris, quod ſimul totum pluribus ſit locis? Quæ tu porrò poſtea blateras

teras quasi sacramentalis metonymiæ exempla ineptè congeramus: & Marcionem, Manetem, Arrium ab inferis hoc vno reuocemus quòd pànem illum dicamus figuratè vocari Domini corpus, idcirco prætermitto, ne tam videar in illis refutandis stultus, quàm tu in illis nobis obiiciendis ineptus.

Secundo loco nobis obiicis *quòd censeamus nõ magnopere curanda verba illa Cœnæ concepta.* Sed quibus obsecro, testibus niteris? Vvestphalo, Schneppio, Iulio Pflugio. Miror verò non etiam abs te adiici bonum illum virum Illyricum, qui palàm prætériri à nobis totam Cœnæ institutionem audet clamitare. Adiice quoque, si placet, ipsum Pontificem Romanum. Nec te istius impudentię pudet? At isti, inquies, vestrarum sunt partium. Nequaquam id verò, quanuis & ipsi à vobis meritò dissentiant. Præterquàm enim quòd quũ omnes cognoscamus ex parte, ne boni quidem inter se per omnia semper consentiunt, ne tu quidem istos pro viris bonis habes. Et quid, obsecro, nobis hìc opus est hominum vel istorũ vel aliorum testimonio? Prostant liturgiarum nostrarum formulæ, edita est communis nostrarum Ecclesiarum confessio, Cœnas priuatas ignoramus, Verba benedictionis vestro & Magorum exemplo non mussitamus, sed palam, apertè, & eo quod omnes intelligunt idiomate, sacra illa peragimus. Itaque & chartæ ipsæ, & hominum myriades, ipsíque adeo templorum parietes summam impudentiam in mentiendo tuam coarguunt. Anabaptistas verò & Schuenfeldium quatandem fronte nobis opponis, quos, stertentibus

vobis, oppugnamus? *At enim*, inquis, *Oecolampadius queritur sibi tanquam Helenam obyci institutionis verba, & Caluinus illa vocat Ataxis cl. peum & vnicum Papistarum asylum*: Esto id verò, At nũ idcirco Dei verbum contemnere quispiam dici potest qui de ipsius abusu conqueritur? Num quæso, Dominus ipse sacrificia à se instituta damnauit, quum apud Esaiam negat se illa requisiuisse ex populi sui manibus? Sed quod optimo & doctissimo viro Philippo Melanchthoni tribuis, id verò prorsus est inauditum perfrictæ vel nullius potius frontis exemplum. Hæc igitur illi ex probras ex ipsius ad Illustrissimum principem Electorem Palatinum Comitem epistola Heidelbergæ excusa, *quòd suam de Cœna Domini fidem quam in publicè editis lucubrationibus nunquam antea profiteri voluerit, attamen familiaribus & amiculis suis non reticuerit, se videlicet Lutherum damnare & Cinglio adstipulari sic tamen vt pro eo quod Cinglius habet, Hoc significat corpus meum, ipse substituat, Hæc est communicatio vel participatio corporis mei. Item quòd consulat ne de verborum Christi proprietate tanquam de fidei articulo simus soliciti, sed omissis illis aliam verborum formam proponamus populo, in eámque iureamus, & toti occupemur in amplificationibus & declamationibus de fructu huius Sacramẽti. Denique quòd nouam Academiam in Christianismum de Eucharistia introducat, suadens vt de veritate verborum Christi liberam cuique expositionem & disputationem academicam relinquamus, modò ne publica sit & controuersa.* Itáne verò tibi tantum virum impunè calumniari licuerit? Habuisse quidem locum in Philippo διαβόλου φρονήσεως nemo

nemo inficiatur, neque mirari quiſquam debet poſt tam obſcuras tenebras à vobis Maæologis inuectas, clarum diem ne nunc quidem ſingulis illuxiſſe,& illud etiam non vitio ſed magnæ laudi tribuendum putamus,ſic ſuo quodque loco etiam in rebus ſacris tradere vt & temporum & locorum & perſonarũ ratio tanta habeatur quantam ædificatio audientium requirit. Nam hoc quoque arbitramur eſſe του λογου οἰκοδομικὸν. Demus etiam ſi voles,hunc de quo agimus nõ eum vbique modum quem par erat tenuiſſe,& vt erat ingenio æquitatis ac moderationis ſtudioſiſsimo ſæpè non aſſequutum quod ſua illa moderatione ſe impetraturum ſperabat: cui tamen perſuaſeris illum,(quo ne candorem quidem ipſum candidiorem fuiſſe ex tota ipſius vita plus ſatis conſtat,)vlla vel aſtutia vel diſſimulatione vſum eſſe? Er, quæſo,quid attinet hac de re diutius contendere? En Rhodus en ſaltus. Extat eius epiſtola in qua ne voculam quidem ſcriptam eſſe dico quæ vllam iſtorum criminum vel leuiſsimam ſuſpicionem præbeat. Tibi accuſatori onus probandi incumbit. Quod ſi quid tale Philippum admiſiſſe probares(quod nũquam certè facies) an non potius quæ ſit Eccleſiarum quas reprehendis & ſententia & conſuetudo non ex huius vel illius ſcriptis,ſed ex publicè receptis & vſurpatis cõfeſsionibus ac liturgiis iudicandũ fuerit? Dic enim,vir bone,an tu nos tuleris ex ſingulorũ veſtrorũ aut veterũ au recẽtium doctorum de multis capitibus ſententias,de veſtro illo quẽ iactatis Catholico conſenſu decernentes?

Tertio loco nobis id obiicis *q parũ curemus quo*

*quiſque modo verba Cœnæ accipiat.* Probas hoc ex Philippo *qui permittat cuique ea de re nugari:* ex Caluino & Bullingero *qui multas verbis differentes expoſitiones, re tamen conuenire dicant. Negat hoc,* inquis *Illyricus.* Et tandem concludis, *conſentire nos omnes hæreticos in opprimendo Dei verbo.* Hæc eſt vniuerſa tuæ probationis ſumma, ex qua nos concludimus ſummè te eſſe impudẽtem qui Melanchthoni tribuere id audeas à quo fuit omnium hominum maximè alienus: & valde inſcientem, niſi verum dicere Bullingerum & Caluinum animaduertas. Negas? Tu quum probandi partes in te receperis, vtere ſaltem aliqua rationis ſpecie vt vel reos nos habeas confitentes, vel dignum in te quippiam operoſiore refutatione inueniamus.

Reliqua tria capita poſtea quaſi tui oblitus in duo conflas, ac primùm quidem à malo genio dictatas fuiſſe præcipuas ex noſtris explicationibus probare te poſſe putas ex Luthero, qui quodam loco ſe quoque dicat fuiſſe in Spiritu, & nocturnam cum dæmone de Miſſa concertationem habuiſſe: ex Caroloſtadio qui quod docebat, ſibi cœlitus patefactum diceret, & cui ſcribat Alberus neſcio quis, dæmonem apparuiſſe concionanti, triduò priuſquam terroribus exanimatus moreretur: Ex Anabaptiſta quodam qui Lutheri cogitationẽ, ipſo teſte Luthero, diuinarit: Ex Cinglio qui ſe in ſomnis dicat admonitum de loco Exodi, vbi Phaſe dicitur tranſitus Domini: ex his quoque Caluini verbis, *Si oſtendero me non aliter loqui quàm Spiritus ſanctus nos docuit, vlterius me vrgeri iniquum foret:* Ex Beza qui Caluinum

ne

ne exceptis quidē Apoſtolis prædicet poſt Chriſtum fuiſſe ſancti Spiritus organum: ex eorum denique opinione(quos tu neſcio cuius ſectæ monachus Caluinianos vocas) qui ſeſe dicant ſancto Spiritu intus imbui,& ex particulari inſpiratione veritatem in Scripturis omnibus perſpicere.

Addis pro colophone Vveſtphali iactata in nos conuitia, *quòd præſtantiſſima dona ex Eucharistia rapiamus, & doctrinam dæmonum à nobis tradi concludis ex mortibus quas repentinas & violentes appellas, Cinglij, Lutheri, Carolſtadij, Empſeri, OEcolampadij, & ex cladibus damnis & ruinis quas orbi Chriſtiano fuiſſe per hanc nouam de Cœna doctrinam lapides ipſi teſtentur.* Æquum eſt autem vt quum tibi tantam maledicendi licentiam arroges, nobis vera reſpondendi locus concedatur. Illud certè recta conſcientia facere non potuiſti quòd eos aduerſum nos teſtes proferas, quorum dogmata vt à ſpiritu mendaci profecta primi animaduertimus & vobis cōiuentibus refellimus. Quis enim noſtrûm Carolſtadii dogma probauit? quis Empſerum laudauit? quis Anabaptiſtarum impia deliria acrius quàm nos condemnat? Quod ſi ortos illos ex nobis dixeris, illud regeram quod dicunt Apoſtoli Actor. 15,24. de Cherintho & Hebione vt nonnulli putant, Quidam egreſsi ſunt ex nobis labefactantes animas veſtras, quibus hoc non præceperamus: & illud Pauli Act. 20, 20, Ex vobis ipſis exorientur qui loquantur peruerſa, & illud Iohan. 2,19, Si fuiſſent ex nobis manſiſſent vtique nobiſcum, vt intelligas (niſi prius mendacij nos conuiceris) nihil abs

te in nos dici quod non ſit olim in ipſos Apoſtolos dictum ab eodem Spiritu ſatanæ. Sed & veſtra iſta Apoſtatica ſedes quid aliud eſt quàm ſentina quædam, & vos illius meretricis Romanæ lenones & mancipia quo potius nomine quàm Eccleſiæ vomicas à noſtris perſectas appellarim? In illis autem aliis quid profers quod tuæ calumniæ patrocinetur? Affirmat Lutherus ſe loqui Chriſti nomine & ſpiritu, Germaniæ bono deſtinatum. Quid igitur? velles illum loqui in incertum? velles veſtro more Euãgelium cauponari? Tu ergo falſitatis illum redargue, aut ei deſine hanc confidentiam obiectare. Abſit tamẽ vt illũ ἀναμάρτητον, vel in doctrina ipſa faciamus. Ex hoc autem ſi colligas illum non fuiſſe ſpiritu Dei præditum, quem mihi vel vnicum inter ſacrarum literarum interpretes ederis quem ab omni nævo in omnibus Chriſtianæ religionis placitis poſsis penitus abſoluere? Diſſentimus, fateor à Luthero in nonnullis, ac præſertim in Cœnæ Domini controuerſia, nec eius in omnibus ardorem ac vehemẽtiam probamus: ſeruum tamen Domini & quidem eximium & valde excellẽtem illum fuiſſe non dubitamus, & res ipſa manifeſtè teſtatur: ac proinde variis modis illum ab eo qui vos planè regit nec ſe facile extrudi patitur ſpiritu tentatum fuiſſe non inuti ci edimus. Cinglium quoque ſanctæ memoriæ hominẽ ex diuturna cogitatione vehementiſsima id quod ſibi in ſomnis euenisſe ſe ſcribit ſcripſiſſe nemo mirabitur qui vel vnicum Auguſtini libellum de cura pro mortuis legerit. O Ecolampadio viro intergerrimo túne vitio vertere audeas quòd ſecum

cum attentiſsimè ac diligentiſsimè ſit iſtam controuerſiam meditatus, prius quàm ab inueterato errore diſcederet? Quod ex Caluino citas nihil aliud eſt quã illius aduerſus vos prouocatio ad Dei verbum, ex quo recténe an ſecus ſentiat, diiudicetur: Maledicentiam in Caluini ſcriptis nullam inuenies, & quod ei ex quadam ipſius ad Bucerum epiſtola exprobras, iamprudem aduerſus illum infelicis memoriæ apoſtatam Balduinum, tuum monitorem, eſt abunde refutatum. Eundem ego meritò vt excellens in domo Dei inſtrumentum viuum colui & mortuum collaudaui, at non ita inſanij vt cum illis omni exceptione maioribus Chriſti teſtibus vel per ſomnium compararem, nedum vt (quod impudentiſſimè comminiſceris) eum à Chriſto ſecundum facerẽ. Vobis enim nõ nobis vſitata ſunt iſta veſtrorum ſanctorũ encomia. Mea. n. hæc totidẽ verba ſunt, abs te non hoc tantum loco ſed alibi aliquoties, calumnioſiſſime detorta. *Quod ad illã triſtem de Cœna Domini exortã controuerſiã attinet, quum videret tantũ excitatũ incendium Caluinus, hæc ipſius ſingularis fuit cura vt perſpicuè rem ipſam exponendo, perſõnas ipſas nõ attingens, illud omne reſtingueret, quod ita dextrè & feliciter præſtitit vt eum qui attentè ipſius hac de re ſcripta expenderit, fateri oporteat, illi, ſecundum Deum, deberi illam huius controuerſiæ deciſionem quam poſtea ſani iudicij homines ſunt amplexi.* Hęc mea, inquam, verba ſunt ex quibus nõ recuſo quin iudicet quiuis, an id quod mihi affingis vnquam mihi in mentem venerit. Sanctis autẽ illis viris mortes violentas & repentinas qua frõte obiicias tu videris.

Obiit Deo ſimul & patriæ vitam impendens Cinglius, cui carmen hoc epitaphium à me ſcriptum hoc etiam loco ſubijcere placuit, vt tibi gratum faciam,

*Zuinglius arderet gemino quum ſanctus amore,*
*Nempe Dei in primis, deinde etiam patriæ,*
*In ſolidum ſe tuis ſe deuouiſſe duobus,*
*Nempe Deo in primis, deinde etiã patriæ,*
*Quàm benè perſoluit ſimul iſtis vota duobus,*
*Pro patria exanimis, pro pietate cines.*

Oecolampadium anthrax, placida tamen & optatiſsima morte, ſicut nobis ſuſtulit, ita Deo adiunxit. Lutherũ, vt ex idoneis teſtibus etiã Principibus conſtat, Dominus in patriam remiſſum, oris ventriculi imbecillitate laborantem, ad ſe cum ſumma alacritate anhelantem euocauit. Cum iſtorum vt vita ſic etiam obitu, quos tu mihi Romanos Papas ab hinc annos mille & amplius mortuos compararis, quorum vſque adeo infames exortus, adeo tragicos legimus interitus, vt nulla ne inter maximè quidem barbaros populos ſimilia portenta extitiſſe memorentur? Quid ſi veſtrorum Cardinalium, Epiſcoporum, Canonicorum hiſtorias haberemus perſcriptas? Et tamen iſti ſunt veſtri Sanctiſsimi patres, quibus (ne ſi quidem currus animabus onuſtos ad inferos pertraherent) non liceat dicere, Cur ſic facis? Hæc veſtra eſt repręſentatiua Eccleſia quæ errare non poteſt: Hæc eſt cathedra cui ſic deuinctum Spiritum ſanctum tenetis, vt qui veſtro charactere non eſt ſignatus omni legitimæ vocationis teſtimonio careat. Et tu ſcilicet egregiè nos iſtis argumentis conuiciſti reuelationibus

bus particularibus vti, quos tamen non ignoras de hoc in primis vobiscum cõtendere, quòd vos quidem ab vna hominum successione, (& quorum hominum?) pendetis: nos verò ex vno verbo per Prophetas & Apostolos scripto, volumus castam Christi sponsam Ecclesiam à vestra meretrice, & vera dogmata Christiana à falsis distingui. Nam quod nobis obiicis docere nos quòd Spiritus sancti interiore afflatu tribui necessariò oporteat vt veritatem agnoscamus, tantùm abest vt inficiemur, vt contrà ne dignum quidem te esse dicamus cui vel ementitum Christiani nedum Episcopi nomen conueniat, si hoc neges. Nam Spiritus sanctus non temerè dicitur veritatis doctor, nec aliter definit Ecclesiam Esaias quàm θεοδίδακτον cœtum: denique illum ipsum discipulum, cuius non doctrinam retinuit sed cathedram fur ille & prædo ac perditus filius vestrûm omnium pater inuasit, testatur Christus fidem quam professus erat non à carne & sanguine, sed à patre cœlesti didicisse. Nam quod excipitis sic futurum, si hæc ratio valeat, vt Spiritum sanctum vnusquisque iactet, non modo falsò, sed etiam ineptè in eos dicitur qui spiritum mendacem à veritatis spiritu discernendi tum alias tum maximè duas istas regulas vt certissimas tradũt. Vnam vt quicquid extra verbum scriptũ profertur pro falso habeatur, alteram vt omnes scripti verbi interpretationes seu à veteribus doctoribus seu à recentioribus quibuscunque allatæ, ad certorum & ἀναμφισβήτητων nostræ religionis capitum normam &

analogiam collatis ſcripturæ ipſius locis exigantur. Hoccine verò eſt phanaticum eſſe, & enthuſiaſmos captare, ac non vos potius quum iſtam diſputandi rationem refugitis, huius ipſius ſceleris rei tenemini quod nobis impingitis?

Poſtremo tandem loco nos omnes à vobis diſſentientes, in octoginta quatuor nō modo diuerſas ſed etiam repugnātes ſententias diſcerpis, vt in iſta confuſanea quam vocas opinionum turba, doceas veritatis ſpiritum non reſidere. Reſpondeo hanc ſemper fuiſſe, eſſe, ac futuram ad extremam vſque huius mundi metam, humani iudicij imbecillitatem, etiam inter eos quos conſtat Deum ſancto ſuo ſpiritu afflaſſe, vt nemo illorū vnus omnia in rebus etiam maximè neceſſariis viderit, iis quidem exceptis quos omni exceptione maiores fuiſſe conſtat, Prophetis videlicet & Apoſtolis, per quos ſic loquutum Dominum nō ex hominum (vt vos vultis) conſenſu, ſed ex ipſis eorum ſcriptis conſtat, vt ſi quis illa in dubium reuocet, omni eum ratione carere poſſit demonſtrari. Dico & illud, vix vlli vnquam datum fuiſſe vt animi ſui ſenſa tam commodè vt oportuit explicare poſſet. Deinde non omnia vno tempore neque in mentem venire ſcriptori poſſunt, neque etiam ſi in mētem veniant, eodem loco ſunt pariter explicanda. Ex quibus efficitur rem iniquiſſimam illos facere, qui vel ex ſingulorū doctorum ſcriptis de Eccleſiarum fide & doctrina, vel ex alicuius ſcriptoris hoc vel illo teſtimonio, quæ fuerit ipſius de toto aliquo dogmate ſententia oſtendere conantur, vt vel eos in ſuas partes pertrahant, vel pro ſuo arbitrio condēnent. Hæc

ſi forte

ſi forte ita ſe habere inficiaris, ipſos tibi vetuſtiſſimos quoſque ſacrarum literarum interpretes, tum Græcos tũ Latinos fero. Quod ſi ad veſtros illos patres Scholaſticos peruenianus, Deus bone, quæ illic diſsidia, quas factiones in hoc ipſo de Sacramentis argumento comperiemus? Nam ne magiſtrum quidem illum veſtrum per omnia vos ſequi ſuſtinueritis. Sed hæc omnia, poſtquàm accerrimè dimicatum eſt, vnico verbo ſcilicet componuntur, ſi quis quæcunque blaterauit, Eccleſiæ Catholicæ non illius veræ & vnicæ à ſcripti verbi auctoritate in Chriſtianæ religionis placitis pendentis, ſed inaniſsimæ ac portentoſiſsimæ chimæræ Romanæ iudicio ſe ſtare dixerit, ad quod etiam aſylum Scotus confugit, vbi validiſsimis rationibus veſtram transſubſtantiationẽ ſubuertit. Cæterùm quod ad rem ipſam attinet, (vt taceam qua tu fide partim ex aliorũ nullius fidei hominũ collectaneis iſta deſcripſeris, partim ipſemet excerpſeris, quum prolatos ipſorum auctorum locos potius oportuerit) quorſum tu, quæſo, nobis Anabaptiſtas, quorſũ Schuenfeldium, quorſum Carolſtadiũ, Campanum & Villagagnonis aduerſus Pontanũ neſcio quem teſtimonium, quorſum denique illos obiicis vbiquitarios quos nemo ſanę mentis non videt cum Neſtorio perſonam Chriſti diuidere, cum Eutychete proprietates naturarum confundere? Itaque quum nos ab illis non minus quàm vos, imò etiam ab illorum quibuſdam magis quàm vos diſsideamus, quo iure tandem illos nobiſcum committis? Neque enim noſtrũ eſt neſcio quorum imperitorum vel falsò vel impropriè dicta

præstare, cuiusmodi sunt etiam quæ tu Molinæo homini furioso apud vos & inter vos mortuo, & Erythræo nō Theologo sed Rhethori, tribuis. Iā uerò illius Illyrici quia tu camarinam cōmouisti vt inde haustum quod tibi saperet nobis propinares, tenemur scilicet in vestri gratiam, illam etiā ad fundū vsque scrutari. Absit hoc verò à nobis, qui vobis potius omnes vltas absorbendas etiā, si libebit, fordes vltrò relinquimus. Nec enim aliud ista sunt quā veneni ex fœdæ illius Romanæ vestrę meretricis poculo propinati fæces, quas olim haustas non quibusuis postea penitus statim euomere cōcessum est. Ergo ex sententiis ea qua voluisti fide abs te descriptis quoties nobiscum ages, illas omnes expungas oportet Illyrico, Schuenfeldio, Stancaro, Brentianis, Lango, Hesnusio, Anabaptistis, Erythræo, Pontano, Carolstadio, Campano, Molinæo attributas, quorum sententiā neque tu neque nos vllo modo probamus. Cætera non recuso quin expendātur, si prius hoc vnum præposuero, manifestū esse te in hoc quoq; calumniatorē quòd quæcūq; de ista controuersia sunt ab aliquo scripta perinde accipis, ac si totidem essent ipsorum institutionis verborū interpretationes. Cæterū à Luthero nos in Cōsubstātiationis dogmate dissētire, & eò vsque diu, diū istud (cuius culpa Dominus nouit) exarsisse, vt inde grauissimū schisma sit inter nos, cōmunes alioqui vestræ Idolomaniæ hostes, sequutū, inficiari nec possumus nec volumus. Propterea tamē vel illū non fuisse eximiū Dei organū, vel Ecclesiæ veræ notas & in nostris & in illorū cœtibus nō extare minimè cōsequitur, quū (velint

lint nolint vobiſcũ nonnulli diſcordiarũ ſatores & fautores) fundamentũ ipſum Chriſtianæ religionis vtrinque idẽ retineamus, & in ipſius quoque Euchariſtiæ ꝓcipuo fine, veri videlicet corporis & ſanguinis Domini cõmunicatione, conſentiamus, & à deteſtando veſtro ſacrificio pariter abhorreamus. Annotas ex Bucero & Laſco quod de actione dicũt, quaſi videlicet nõ panem ſed actionẽ ſenſerint à Chriſto demonſtrari: quibus iniuriã facis. Nec enim aliud ita voluiſſe ipſos ſignificare cõſtat, quã panẽ extra ipſum vſum Cœnæ, nõ habere rationẽ Sacramenti, ſicut cera ſigillo publico impreſſo, nõ eſt tamen ſigillũ niſi inſtrumẽto appẽdatur. Nec aliter explicare potes vtrunq; illud quod Matthæo Smalcaldẽſi tribuis quũ inquit *iſtis locutionibus In pane vel Cũ pane eſſe corpus Chriſti, nõ intelligi locũ aut tẽpus ſed ipſum externæ Cœnæ quaſi ſubiectũ, à quo ſecundũ locũ & tẽpus procul remotũ eſt Chriſti corpus: quod corpus in illo vel cum illo edi dicitur, nõ tanquam in illo ſubiecto exiſtẽs, ſed tanquam actionibus Cœnæ obiectum quæ circa panẽ exercẽtur.* Item, *corpus nõ eſſe in proprio ſubiecto, nec in panis ſubiecto & materia, ſed in obiecto Cœnæ & actionũ eius.* Nulla hîc igitur inter nos & illos diſſenſio, ſed ſumma potius inter nos oẽs aduerſus idololatricũ veſtrũ cõtrariũ dogma cõſenſio. Idem Bucerus ait *corpus mẽti demõſtrari per verbũ, ſicut panis demõſtratur ſẽſibus: itẽ vt ore panẽ, ſic corpus animo cõcedi.* Item *panẽ eſſe ſymbolũ quo corporis Chriſti vera cõmunicatio fidelibus exhibetur.* Annon verò nos in hoc quoq; prſus cõſenti mus? Eundem vis ſcripſiſſe, *panẽ eſſe corporis Chriſti canalem*, cuius dicti quis non videt hanc eſſe

ſententiam, quòd hoc Sacramento, veluti interueniente quodam inſtrumento, Deus vtatur, vt ſpiritualiter ipſius ſanguine irrigemur, quod Sacramentalis vini potu menti repræſentatur? Idem ait *Cœnæ myſterium eſſe proteſtationem & ἀνάμνησιν Chriſti beneficiorũ*, quod & ipſum verè dici, & idcirco Euchariſtiam hoc myſterium vocari, quanuis non huic ſit primarius Cœnæ Domini finis, túne auſis negare, quin ipſius Chriſti voce redarguaris? Eidem Laſco tribuis *quòd panem illum dicat eſſe ſocietatem gratuitò nobis delatam, ſiue ius & vſum Chriſti in ipſius corpore.* Paulum igitur ipſum reprehende: at nos omnes vno conſenſu iſti ſententiæ aſſentimur. Eſt autem figurata per Metalepſin oratio qua effectũ ponitur pro inſtrumentali cauſa interueniente, veluti quum idem Paulus dicit Euangelium eſſe Dei potentiam ad ſalutem, & Corinthios eſſe gloriationem ſuam. Sic Chriſtus quoque dicitur eſſe reſurrectio, quòd ſit cauſa reſurrectionem efficiẽs. *Idem*, inquis, *ſcripſit hanc communionẽ eſſe in Chriſti corpore nõ iuxta ſubſtantiam ipſius naturalem, ſed iuxta meritum paſſionis & mortis, & gloriam admirandæ reſurrectionis*, cuius ſententiæ teſtem citas Melanchthonem in iudicio de Cœna Domini. Tu verò videris vnde & qua fide iſtud, ac pleraque fortaſsis alia, deſcripſeris. Quod ſi quid tale Laſcus ſcripſit, certum eſt noluiſſe ſublatam ipſiuſmet traditi pro nobis corporis communicationem ſpiritualem, ſed realem illam ſubſtãtiarum σωμαχὴν & (vt tu loqueris) cõtactum ac commixtionem (vt durè interdum loquitur Cyrillus, alibi tamen commodè ſeſe explicans) & Cyclopicum

picum ac impium veſtrũ dogma damnaſſe: quod etiam alibi qualitatis nomine ſignificat, vt declaret myſticæ noſtræ cũ Chriſto per fidẽ concorporationis fructum in noſtri immutatione poſitum eſſe. In his autem quam tandem inter nos quos oppugnas repugnantiã inuenies? Quod enim dogma nobis ex Vnicordio neſcio quo tribuis, *quòd* videlicet *à corporis Chriſti ſubſtantia gratiam & efficaciam nunquam ſeparemus*, vltrò omnes contra vos & vobiſcum ſentientes vno conſenſu amplectimur: nec viciſsim à Chriſti energia & beneficiis ipſummet Chriſtum ſeiungimus. Itaque contrarium veſtrum Satanicum dogma quo non ex corporis Chriſti reiectione & contemptu ſed ex ipſomet corpore Chriſti indignè recepto iudicium promanare comminiſcimini, ex luce tenebras & ex vita mortem elicientes: itémque alterum veſtrum errorem quo Chriſti beneficia fingitis extra ipſiuſmet communionem tribui, abomina mur. Sed & in eo quod ex Vireto collega quondam meo, doctiſsimo & optimo viro citas, omnes idem ſentimus, *totam hanc videlicet Cœnæ actionem ſymbolum eſſe non tantum corporis & ſanguinis, ſed etiam mortis & effuſionis pro nobis factæ*. Nec enim duntaxat panem & vinũ ſed etiam Sacramentales ritus à Chriſto inſtituti (quos partim ſuſtuliſtis, partim immutaſtis, partim etiam intollerabili audacia multiplicaſtis) puta fractio, infuſio, præbitio, acceptio, manducatio & potatio inter huius myſterij partes à nobis recenſentur: nec eſſet nobis viuifica Chriſti caro, niſi vt pro mundi vita tradita, nobis fruenda præberetur. Quod etiam ſcriptum dicis in Si-

leſiorum confeſsione *Hoc admonere nos de corpore Chriſti per fidem edendo*, pariter omnes profitemur, & haud ſatis ſcio an tu ipſe inficiari audeas. Quod autem ex Clebicio citas, *In iſta locutione, Cum pane eſt corpus, Cum non eſſe præpoſitionem ſed adverbium temporis, & ſignificare capi corpus quando capitur panis*, etſi rectè explicatum tolerabile eſt, ſit ſanè tamen priuati hominis argutiola ex qua multò iniquius fuerit ſtatuere noſtram Eccleſiam diſsidiis laborare, quàm ſi ex veſtri Catarini & Seti contentionibus ſciſſum eſſe veſtrum illum Catholicum quem iactatis conſenſum collegerim. Iam ad noſtros venio, inter quos libenter etiam perſuaſeris regnare diſcordiæ ſpiritum. Noſtros appello, magnos illos Dei ſeruos, quorum opera tot Eccleſiæ ſunt ab Antichriſti veſtri iugo liberatæ, quorum ſpiritus nũc ſunt in cœlis, ſcripta verò in terris tam ſunt optimo iure vobis Antichriſti mancipiis formidabilia, vt illorum nomina ne ferre quidem poſsitis, Oecolampadium, dico, Zuinglium, Caluinum, Martyrem, & nuper ereptũ nobis Bullingerum, quorum ſententias à te excerptas, age, perpendamus. Scribit Oecolampadius *Cœnam Domini eſſe commemorationẽ corporis Domini, Panem illum eſſe ſymbolicum corpus, id eſt, veri corporis figuram.* Item *eſſe ſignum quo admoneamur corpore Chriſti pro nobis tradito nos viuificari*: item *eſſe ſymbolum quod teſtatur nos vno eodémque corpore redemptos.* Scribit Zuinglius, *panem hunc ſignificare corpus.* Item, *pane illo & illo vino naturam Chriſti humanam ſignificari.* Item, *diuinitatem & Spiritum Chriſti eum demum eſſe qui nos viuificet, ac proinde ſpiritualiter*

*tualiter intelligendum esse Cœnæ mysterium Et fide ac animo, non ore & dentibus manducandam Domini carnem.* Item, *mortem & passionem Christi in Cœnæ mysterio repræsentari & fruendam præberi.* Idem ostendens vnius fidei oculo corpus Christi in Cœnæ mysterio spectandum, ait *hoc corpus esse fidei corpus, fidei, inquam, in ipsum Christum:* quæ tria posteriora dicta quum à vobis perinde torqueantur acti diceret Zuinglius panem hunc vel hoc corpus esse diuinitatem seu spiritum viuificantem, vel mortem seu passionem ipsam Domini, vel esse corporatam quandam fidem, quid vobis impudentius fingi potest? Eundem denique vt & Oecolampadium dicis *vocare panem symbolum corporis*, & à Zuinglio adiici *quatenus pro nobis datur*, nempe vt intelligatur corpus illud nonnisi cum sua determinatione (veluti nimirum datum pro mundi vita) nobis in Cœna præberi. Quod si hæc inter se compares, vt ad minimum vsque apicem omnia perscruteris, nullum in illis ne tantillum quidem discrimen inueniri posse dico. Quod enim à nonnullis obiicitur, Zuinglium quidem in Verbo EST, Oecolampadium autem in attributo ipso Corporis tropum constituere, ac proinde inter se dissidere, futilissimè concluditur, si rem ipsam non verba spectes: quod etiam non pigebit pluribus explicare, vt tandem (si fieri potest) calumniari tam consentientes inter se homines desinatis. Dico igitur eas esse verè proprias enuntiationes in quibus ipsi, quos vocant, termini tum per se tum relatè, id est, quatenus attributum de

ſubiecto dicitur) conſiderati, propria ſignificatio ne accipiuntur, vt ſi dicam *Circunciſio eſt ſignum fœderis illius cum Abrahamo ſanciti*: figuratæ autem ſunt, in quibus attributum (id enim in ſubiecto rariſsimè contingit) tranſlatitiè accipitur, vel per ſe, vt quum dicit Chriſtus de Herode quod ſit vulpecula, & de Iuda quòd ſit diabolus, & de Chriſto Iohānes quòd ſit agnus tollens pec cata mundi, vel propriè quidem per ſe dicitur, impropriè verò ſi relatè conſideretur, id eſt, quatenus non quid ſit in ſe ſpectatur, ſed quo ſenſu de ſubiecto dicatur, cuiuſmodi frequentiſsimæ ſunt enunciationes. Sic, exempli gratia, *Circunciſio eſt fœdus*. Nec enim hìc negari poteſt, quin & ſubiecto declaretur circunciſio propriè accepta & attributo verum illud ipſum fœdus intelligatur, quod in ſuperioris generis exemplis de vulpecula, diabolo, agno non dixeris. Verùm ſi relatè conſideres attributum, comperies propriè id tribui circunciſioni non poſſe, quum id ipſum quod aliquis pepigit & adhibito ſigillo obſignatur ſit ab ipſo ſigillo diuerſum. Erit ergo figura in ipſa attributione, ſiue in attributo, non per ſe, ſed relatè conſiderato. Sic in iſta enunciatione non accepta identicè, *Hoc*, id eſt, *hic panis eſt corpus meum quod pro vobis traditur*, neceſſe eſſe dico proprium panem & proprium Chriſti corpus intelligere ſi per ſe quid & hoc & illud ſit in hoc ipſo Sacramento conſideres: ſin verò quomodo vnum de altero dicatur ſpectemus, tunc erit neceſſe tropum in attributione ipſa, ſiue in attributo relatè conſiderato ſtatuere, quum verus panis & verum corpus humanum ſint diſparata. Hunc autem

autem tropum esse dicimus Metonymiam expli candæ Sacramentorum naturæ, veritati, & efficacitati vsque adeo accommodatam, vt illis commodè explicandis trãslatitia hæc attributio multò magis quàm propria & natiua conueniat. Verbis igitur differunt, re verò prorsus conueniunt istæ verborum institutionis Cœnæ Domini explicationes, *Hoc est Sacramentaliter corpus meum, Hoc significat corpus meum, Sacramentali videlicet significatione, &, Hoc est Sacramentum, symbolum, figura, signum, tessera corporis mei.* Ex quo etiam liquet quàm ridiculi & inepti sint qui perinde aduersum nos disputant ac si symbolicum & mysticum nescio quod corpus pro nobis traditum in Cœna pro vero illo vnicóque corpore statueremus. Sed illud addo, ex figurata ista attributione prodiisse illud enuntiationũ genus figuratum quod in ipso attributo per se considerato positum diximus, quo sensu Cyprianus de hoc Sacramento differens, corpus Christi quotidie creari, & Augustinus in terram cadere & consumi scripsit, quo etiam modo necessarium esse videtur ipsius Lombardi sententiã exponere vbi corpus Christi tum signum tum rem signatam esse dixit. Et de summis quidem illis viris, duabus verè suo tempore in templo Domini plantatis oleis, eundem salutarem doctrinæ cœlestis liquorem pretiosissimum vno consensu fundentibus, hactenus dictũ esto. Venio ad tres illos istorum successores, Bullingerum, inquam, Martyrem & Caluinum (quibuscum Heidelbergensem Ecclesiam cõiungo) quos ab illis in Cœna Domini dissensisse non prius euiceris quàm Solem ostende-

ris meridie non lucere. Hæc igitur tribuis Bullingero, *Cœnã Domini esse symbolũ sacrũ gratiæ & redemptionis nostræ quod post se Dominus reliquerit.* Annon verò quod Sacramentũ nouũ fœderis est, signũ est gratiæ nobis collatæ, in cuius celebratione mortẽ Christi annũciare iubemur donec ipse veniat? & ne clamites signũ hoc esse nudũ ali quod mortis Christi ἀνάμνησιν, audi quod ex eodẽ profers, *Hoc est obsignatio corporis pro vobis traditi*, obsignatio certe in ea fidelũ mentes ipsum Christũ fide participãtes. Audi denique & illud à te ipso exceptũ, *Hoc Sacramẽto significatur* (efficaci videlicet Sacramentali significatione) *passio & mors mea, ac cõmunio cũ omnibus sanctis.* Expẽde & illud *Hic panis est symbolũ quo vera corporis mei cõmemoratio fidelibus exhibetur*, quas sententias nisi agnoscis prorsus cõsentire quid tibi tãdẽ cerebri inesse quisquã credat? Istud denique abs te ex eo dẽ prolatũ, *Hoc est mysticũ corpus meũ seu Ecclesia sanctorũ, meo corpore redempta*, ostẽdit qua fide sint isti centones à vobis consuti. Postquã enim Bullingerus in illo suo de Sacramentis tractatu, de nostra cũ ipso Christo cõiunctione disseruit, accedẽs ad mutuã nostri sub eodẽ illo capite consociationẽ, & illa Pauli verba explicãs, *Nos multi sumus vnus panis & vnũ corpus*, de corpore mysti co id interpretãdũ docet. At vos Sycophãtæ ad institutionis verba perinde hoc trahitis ac ii corporis appellatione in his verbis *Corpus meũ quod pro vobis traditur* corpus mysticũ intelligendũ diceret Bullingerus: quũ hæc altera nostri in vnũ corpus mysticum consociatio sit illius prioris, nẽpe ipsiusmet Christi participationis effectum eã con

sequẽs, in qua etiã posteriore coadunatione Christus nõ corporis sed capitis, Ecclesia verò corporis à capite depẽdẽtis rationẽ & appellationẽ sortitur. Et quis vestram hãc in corrũpendis sanctorum hominũ scriptis impudẽtissimã audaciam ferat? Venio ad Martyrẽ, cuius incõparabilis & eruditio & pietas, quò magis illã obscurare conabimini, tãtò magis ęternũ effulgebit. quicum etiã ausi estis cõminisci mihi & collegis meis dissidiũ in Pissiaceno cõuentu intercessisse, quũ tamẽ nulla maior animorũ & voluntatũ coniunctio ne cogitari quidẽ possit quã tũ inter nos aduersus vestã cõiurationẽ fuit. Fingis tu igitur illũ sic inuertere Christi verba, *Corpus meũ est hoc*, quod impudens esse mendaciũ affirmo, quanquã si panis est corpus, corpus quoque esse panis necessariò dici potest. Sed hoc ita illũ dixisse vt Schuenfeldio assẽtiretur nũquãostẽderis. Ex eodẽ istud citas, *panem esse symbolicum corpus, seu figura veri corporis*, quod & ipsum Zuinglio, Oecolãpadio & Caluino attribuis, vt te ipso teste constet de horũ ommũ cõsensu. Eundem quoq; vis scripsisse, *Hoc est corpus Christi quod dat nobis animo edendũ sicut panẽ ore*, ꝙ quidẽ nos oẽs & animo & ore ꝑficemur. Deuenimus tandẽ ad illũ cuius ne mortui quidẽ nomẽ ferre potestis, Caluinũ videlicet, selectum Dei Opt. Max. ad euertendã Antichristi tyrannidẽ organũ, cui sententias istas attribuis. *In Cœnæ actione, nõ tamẽ in pane exhiberi Christi corpus.* Rectè ꝑfectò. Abiit. n. vel vt nõ præstet Deus ꝙ adiecta etiã obsignatiõe offert, vel vt verũ Christi corpus nũc alibi quã vbi est, id est, in cœlis ꝑ fidẽ ꝙratur & inueniatur. *Panẽ illũ esse symbolicũ Christi corp⁹* (id est, sacramẽtaliter dici corpus) seu figuram

veri corporis. Hoc verò etsi verè dicitur, modò adiiciatur minimè inanem esse hanc figuram, tamen falsò à te citatur quasi ex consensu Tigurini to depromptum. Sed & ista quis nostrum contra vos non agnoscit?

*Hic panis est signum efficax corporis mei, & participationis cum eo.*

*Accipite edite, quod pro vobis datur, est corpus meũ.*

Item, *Hoc est symbolũ quo vera corporis mei communicatio exhibetur fidelibus.*

Item, *Hoc est symbolum promissionis meæ de carne mea.*

Item, *Adest corpus meum spiritali præsentia & participatione.*

Item, *Hic panis est corpus meum Sacramentali locutione & coniunctione per Metonymiam signi & signati.*

Ista verò quæ sequuntur quum calumniosissimè à te proponantur, vera explicatione indigẽt, vt fucum vos imperitis facere ex Caluini libris in pulpito coram plebecula propositis nemo miretur, quos non pudeat illa scriptis committere quæ partim falsissimè partim impudentissimè à vobis esse detorta, ex ipsa locorum descriptione omnes intelligant. Sunt autem ista huiusmodi.

Citas istud ex Caluini 5. ad Ephesios, *Hoc est mysticum corpus meum, seu Ecclesia sanctorum redempta corpore meo.* At quæ hæc impudentia est? Extat in hominũ manibus liber. Caluini autem hæc ipsa sunt verba. *Quemadmodum Eua ex Adæ mariti sui substãtia formata est vt esset quasi pars illius, ita nos, vt vera simus eius membra, substantiæ ipsius communicare oportet, & hac cõmunicatione nos coalescere*

*coaleſcere in vnum corpus. Denique eam noſtri cum Chriſto vnionem his verbis, Membra ſumus corporis eius, ex carne eius & eius oſſibus Paulus deſcribit, cuius in ſacra Cœna ſymbolũ & pignus nobis datur.* Sic illè noſtræ cum Chriſto verè myſticæ conſociationis myſteriũ declarat, cuius pignus quoddam ait eſſe Cœnam Domini. An inde verò colligere debuiſti inſtitutionis Cœnę verba perinde à Caluino exponi, ac ſi panẽ illũ diceret Dominus eſſe myſticũ ſuum corpus, id eſt Eccleſiam, ac non potius illud ipſum corpus pro Eccleſia datum?

Iſtud autẽ quod ais à Caluino & Caluiniſtis, quos vocas, paſſim dici, *Hæc eſt participatio corporis mei ſi fides adſit, ſin minus oblatio, quæ recuſatur ab indignis*, ſanè non inficiamur, imò vno conſenſu contrarium veſtrum dogma deteſtamur, modò oblationis vox nõ ad Deum referatur, cui accedentes Chriſtum offerant: ſed ad accedentes quibus tum dignè tum indignè accedentibus Chriſtus in myſterio Cœnæ offeratur, quanuis à ſolis fidelibus participetur.

Profers & iſtud, *Hoc eſt teſtamentum in corpore meo*, Verba Caluini hæc ſunt in 1 Cor. 11. 25. non in hæc verba, Hoc eſt corpus meum, ſed in iſta, Hic calix eſt nouum teſtamentum.

*Quod de calice prædicatur pani etiam competit, adeò ue hac locutione exprimitur quod antea breuius dictum erat, panem videlicet eſſe corpus. Ideo enim nobis eſt, ut ſit Teſtamentum in corpore, id eſt, fœdus quod ſemel immolatione corporis ſanctum fuit & nunc ſanctitur eſcendo. dum ſcilicet ex illo ſacrificio epulantur fideles.* Hæc ille cuius verba quum ſic detorques acſi Caluinus hãc enuntiationem

*Hoc eſt corpus meum*, totidem iſtis verbis expoſuiſſet, ecquis tuam calumniam non animaduertit? Iſtam autem ſententiam ſi negas, quid ſupereſt niſi vt in ſolo ſanguine ſanciatur teſtamẽtum, ac proinde quum calicis vſum plebi ſuſtuliſtis, ſcelus à vobis inexpiabile ſit admiſſum?

Quod ex Caluino ſubiicis, & à me in Piſſiaceno conuentu declamatum dicis, *corpus illud ipſum* videlicet *quod pani attribuitur*, *cenſere nos tam procul eſſe diſſitum à pane quàm cœlum, vbi nunc eſt & non alibi, abeſt à terra, vbi nũc & non alibi ſumus*, ſcito, omnes noſtrarũ partium Eccleſias ſummo conſenſu iſtud profiteri: ſed illud abſte verſutè diſſimulatum eſt, quòd videlicet nihilominus credamus fideles, nõ obſtãte locorũ interuallo, ſpiritualiter & tamẽ veriſſimè ac efficaciſsimè per fidẽ, non tantùm Chriſti donorũ, ſed ipſiuſmet verè fieri participes, atq; adeo ipſimet Chriſto verè Spiritus ſancti vinculo, inenarrabili myſterio, vniri, vnde vitę æternę ſuccº hauriatur.

Tribuis Caluino hanc quoque ſententiam ex Inſtit. lib. 4, cap. 17. num 12. *Hic eſt canalis Spiritus ſancti per quem quicquid eſt Chriſtus ad nos deſcendit.* Item, ex eodem libro & capite, num. 9, *Hæc caro eſt canalis vitæ.* In his autem quod ad priorem locum attinet falſarium eſſe te dico, nempe & in citãdis verbis, & in re ipſa. Nam verba hæc ſunt Caluini poſtquam veſtrã illam localem præſentiam damnauit, *Hac non opus eſt*, inquit, *vt ipſius participatione fruamur, quandoquidem hoc beneficiũ per Spiritũ ſuum Dominus nobis largitur, vt vnum Spiritu, corpore, anima ſecũ fiamus. Vinculum ergo iſtius communionis eſt Spiritus Chriſti, cuius nexu copulamur,*

*copulamur, & quidam veluti canalis per quem Chriſtus ipſe & quicquid eſt & habet, ad nos deriuatur.* Aio igitur te falſarium hîc eſſe qui quod de Spiritus ſancti virtute & operatione (hic enim eſt Chriſti Spiritus) ſcripſit Caluinus, ad corpus ipſum Chriſti detorqueas. Non ignoras autem Chryſoſtomum hac ipſa de re agentem, Patrem quidem fonti, Spiritum verò fluuio inde emananti comparare, qui carnem Chriſti compleuerit, ex cuius poſtea plenitudine idem ille Spiritus accepta dona fidelibus admetiatur. Iamuerò quoniam vna & eadē eſt trium perſonarū deitas, diſſerens eodem 4. lib. & cap. 17. num. 9. Caluinus de virtute illa Chriſti viuifica, quæ in Chriſti carnē tota redūdat, vitā ipſam cum aqua, Verbi deitatem cum eiuſdem vitæ ſcaturigine, carnem cum fontis veluti quodā conceptaculo comparat, ex quo ſit illa nobis hauriēda. Quam autē carnem eo loco fontem à ſcaturigine diſtinctam vocauit, idem Caluinus, fateor, in Iohā. 6, eodem prorſus ſenſu canalē vocat, ex quo vno vita ad nos emanet: vnde etiam concludit carnis ipſius & ſanguinis Domini communionē omnibus neceſſariam eſſe qui ad vitam æternā aſpirēt. Itaque & Pater & Filius & Spiritus ſanctus ſunt ipſa ſcaturigo vitæ, ſed aliter Pater, aliter Filius, aliter Spiritus ſanctus, ſicut in toto ſalutis noſtræ myſterio non tantùm hypoſtaſes, ſed etiam effecta diſtingui oportet, quanuis ad externum opus inſeparabiliter cōcurrant. Caro verò Chriſti, fontis quidem conceptaculum per ſe, quatenus autē in nos profluit, canalis rectè dicitur: & Spiritus ſanctus quatenus eius proprium eſt tum ipſum Chriſtum

nobis per fidē adiungere,tū dona ex hac ipſa carne Chriſti accepta ſingulis admetiri, rectè quoque canalis conceptaculo comparatur,quo aqua in irriganda loca deuehitur. Non debuiſti igitur iſta cōfundere,quaſi carnem Chriſti in ſpiritum Caluinus transformet, (quod vos potius Marcionem ſecuti facitis, quū ſuis illam dimenſionibus ſpoliatis, & eſſentiā eius in ſeſe inuiſibilē facitis) vel quaſi pro carne ipſa Chriſti ſolā eius energiā ſiue ſola beneficia in Cœnę myſterio ſubſtituat: aut vt tu ridiculè comminiſceris, Chriſti ſubſtantiam percolet, aut denique Chriſtianam religionem in canales aut tubos tranſmutet,quæ putida mendacia longiore refutatione nō egent. Illas autem ſimilitudines totidem penè verbis eſſe ex ſacris literis depromptas,rūne inficiari audebis? Sequitur iſtud,*panem eſſe inſtrumētum quo Chriſtus nobis ſuū corpus diſtribuit*,quod ſi perinde accipis acſi verba ipſa inſtitutiōis Cœnæ Caluinus totidē iſtis vocibus explicaret,rurſum facis quod Sophiſtæ ſolent. Diſſerens autem Caluinus paſſim de ipſorū ſignorū vi,aduerſus veſtrū illud diabolicū dogma,de opere operāte & opere operato & de virtute intrinſeca ipſis Sacramentis inhærente,ruetur,in contrariam partem ſigna quæ Sacramenta vocantur nullam in ſeſe vim aliam incluſam habere,quàm oculis per analogiam teſtificādi quod per externum verbum auribus ſignificatur, ipſam autem rerum ſignificatarum præbitionem & perceptionem totam in ſolidum ab vnius Spiritus ſancti virtute ſeſe intus exerente & illis externis rebus tanquam mediis & inſtrumentis ad fidem excitandam ac fouendam v-

tente

tente proficiſci: quam ſententiam ſi damnas, relego te ad veſtrum Durandum in lib. Sententiarum 4. diſtinct. 1, quæſtione 4.

Profers iſtud quoque veluti ex Caluino in locum illum Matth. 26. depromptum, *pauperes ſemper habebitis vobiſcum. Hæc eſt virtus & gratia ſpiritalis mea.* Et iſtud, *Hoc eſt ſymbolum & teſtificatio quæ ſpirituales gratias figurat*, quaſi videlicet Caluinus in verbis inſtitutionis Cœnæ per Corpus nobis traditũ intelligat ipſius beneficia in nos collata. Diſputãs eo loco Caluinus nõ de Cœnæ myſterio, ſed de illa vnctione pedũ Chriſti & de externis illis tantis & tã malè collocatis ſumptibus, quibus faciendis domus etiam locupletiſſimæ à vobis exhauriuntur, tandem in hęc verba erumpit. *Clarè ſignificat Chriſtus quod tunc ſemel fieri voluit, ſibi in poſterum minimè gratũ fore. Nam quum pauperes ſemper in mũdo fore dicit, inter quotidianum cultum diſtinguit, cuius vigere debet vſus inter fideles, & illum extraordinarium qui ceſſauit ab eius aſcenſu. Volumúſne pecuniam benè locare in vera ſacrificia? pauperibus erogemus. Nam ſe nobiſcum Chriſtus eſſe negat vt externis pompis colatur. Scimus certè adeóque fidei experientia ſentimus virtute & gratia ſpirituali nobis eſſe præſentem, ſed viſibilis nobiſcum non verſatur vt terrenos honores à nobis recipiat. Quare veſana eſt eorũ oblectatio qui ludicras impenſas inuito & recuſanti obtrudũt:* Hæc ille, quæ quũ tu perinde detorques acſi Caluinus verba inſtitutionis explicaret, & pro Chriſti Cœnæ corpore gratiã eius & energiam ſpiritualem ſubſtitueret, quis te tã impudenter mentientem meritò non deteſtetur?

Nec verò aliũ te præſtas in eo quod mox conſequitur, *Hoc eſt abſtractum quid ex ſubſtantia corporis mei.* Vbi verò tandem hoc Caluinus? in ratione ineundæ concordiæ, inquis. Verba Caluini hæc ſunt, *A voce, Spiritualiter, nonnulli abhorrent quòd ſic putent imaginarium aliquid vel inane notari. Ergo hîc etiam ſuccurrat definitio neceſſe eſt. Spiritualis ergo manducatio carnali opponitur. Carnalis autem vocatur qua putant quida ſubſtantiam ipſam Chriſti in nos trãſfundi, ſicut panis comeditur. Ex oppoſito autem dicitur ſpiritualiter nobis Chriſti corpus in Cœna dari, quia facit arcana Spiritus ſancti virtus vt è cœlo ad nos penetret vita ex Chriſti carne, quæ vis & facultas viuificandi non incõmodè abſtractum aliquid à ſubſtãtia dici poſſet, modò ſanè & dextrè hoc intelligatur, manere ſci icet in cœ'o Chriſti corpus, & tamen ad nos qui in terra peregrinamur, vitam ex eius ſubſtantia manare ac peruenire.* Hæc ille, ex quibus nemo non videt Caluinũ verã veri ipſius corporis Chriſti communicationem primo loco ſtatuere, quam ſuo more, à fructu & efficacia inde ad fideles emanante diſtinguat, & illis verbis *Quiddam abſtractum* interpretationẽ addere, ex qua intelligatur nihil materiale, ſed vim viuificantem ex ipſa carne Chriſti veluti decerptã ſignificari. Planè igitur Sycophantã agis, quum de ipſo corpore Chriſti ſic aliquid decerptũ intelligi, & materialẽ aliquam ipſius Chriſti ſubſtantiæ portionẽ ita fuiſſe vis à Caluino ſignificatam: quæ deliria vobis potius Sarcophagis Capernaitis conuenire quis non animaduertit?

Citas & iſtud ex lib. Inſtit. 4. cap.17.num. 3.& Comment.in 1.Cor.11.24. *Hoc eſt veriſſimum Chriſti corpus*

*sti corpus vt verba sonant*. Inspiciatur vterque locus vt hîc quoque insignis Sophista & alter λοξίας deprehendaris. Et si enim (qua in re ne vos quidem à nobis dissentiretis, nisi corpus Christi verum in Chimærã ttansformaretis) vbique testatur Caluinus verum corpus de vero pane dici: non tamen ait panem illum ita esse verum corpus, siue verum corpus de pane illo (ita vt verba sonant) sed figuratè dici.

Eadem astutia vteris in hac sententia citanda ex eodem institutionis lib. & cap. num. 10. *Hoc est meum corpus ibi, vbi est panis.* Verba Caluini sunt de vera cum carne Christi quanuis in cœlis manentis participatione, *Quod mens nostra non comprehendit, concipiat fides, Spiritum verè vnire quæ locis disiuncta sunt.* Et mox, *Omnino ista hæc piis tenenda est regula, vt quoties symbola videt à Domino instituta, illic certò rei veritatem adesse certò cogitet ac sibi persuadeant. Ergo*, inquis, *sibi ipsi repugnat Caluinus. Etenim si veritas, id est, ipsum corpus illic adest vbi est panis symbolum, quænam erit ista locorum distantia?* Imò quid hoc est aliud quàm syllabas aucupari? qua de re sic pulchrè Chrysostomus alicubi in pneumatomachos agens, *Attende diligenter quoties tibi dictum aliquod apparet obscurum, nec statim addicas te dictioni, sed expecta sententiæ finem.* Sequitur ergo apud Caluinum. *Quorsum corporis sui symbolũ tibi Dominus in manũ porrigat, nisi vt de vera eius participatione te certiorẽ faciat?* Vocat igitur Caluinus veritatẽ Sacramẽti cũ Augustino nõ ipsum corpus, sed eius cõmuni cationẽ, id est, præstationẽ promissionis, cuius causa est institutũ Sacramẽtũ. Sic enim Augustinus

*Corpus quidem Christi in vno loco est secundum veri corporis modum, veritas autem corporis Christi vbique est.* nempe vbicunque sese nobis aut in verbo aut in Sacramẽtis spiritualiter fruẽdũ exhibet.

Pergis præterea & hoc quoq; Caluino & Bezæ & Heidelbergẽsibus tribuis, *In hac Cœna quatenus est cœlestis actio & nõ quatenus est externa & terrestris, est corpus meũ.* Nos, sicut Sacramẽta duabus rebus constant, vna terrena, altera cœlesti, ita dupliciter Cœnam illam mysticam spectamus: vno modo quatenus externis corporis, altera quatenus interioribus mentis actionibus, vtrinque mutuò se respicientibus peragitur: ac in illis quidem signa corpori corporali modo, in his rem signatam spiritali ratione menti & fidei adesse, itémque dari ac percipi dicimus. In hoc si quid habes quod reprehendas, ostende, vel nos tanquam Cœnam duplicem statuentes, aut terrestria separantes à cœlestibus, aut tanquam ἀεροβατοῦντας calumniari desine.

Nec hoc quidẽ præterire voluisti, *Est obsignatio seu confirmatio gratiæ iam receptæ* ex eodem Instit. lib. & capite, numero 14. quem locum falsò citas. Sed hoc verum est, statuere nos vnico fidei instrumento rem signatam, Christum videlicet ipsum, in Cœna percipi, ac proinde non incipere à Cœna Domini nostram cum ipso vnitionem, sed eã Cœna potius obsignari. Vestrum enim de opere operato dogma vt planè Satanicum toto corde cuncti detestamur.

Quæ porrò tu mihi obiicis responsione non egent quum sint mihi cum Caluino, istis quidem pauculis exceptis, communia, quorum.

Pri-

Primum eſt, *Hoc eſt ſanguis meus*, de qua interpretatione ſuo loco dixi.

Alterum eſt, *Hoc ſignificat corpus meum*, quod tamen non ita ieiune à me ſcribi ſolere ſatis noſti, non quod id rectè nō ſic dicatur, ſed vt calumniis veſtris occurram.

Tertium, *Hæc eſt communicatio ſeu participatio corporis, quaſi per Apoſtolum ſermo Chriſti explicetur*, Ego ſcripti Apoſtoli verbis Chriſti ſermonem illuſtrari, quo videlicet finis & ſcopus primarius Cœnæ dilucidè ſpectandus proponatur. Sed cur explicationem meam præteriiſti? Nam apertè dixi, id quod communicatur nempe corpus, ab eius communicationis inſtrumento, nempe Sacramento, differre.

Quartum, *Hæc vnio eſt cum tota perſona Chriſti, vt corpus ſignificet quicquid eſt Chriſtus*, Ego certè naturas Chriſti diſtinguere didici, ſeparare non item: neque carnem Chriſti viuificam fore arbitror niſi vt Dei caro percipiatur. Aliud eſt autem iſtud quàm quod tu mihi impingis. Etſi enim corpus deitatis expers non percipitur, Chriſto tamen adhæremus, non deitatis ipſius, (vtpote quæ, ſola mediatoris perſona excepta, realiter ſit incommunicabilis) ſed ea natura ſecundum quam frater noſter eſt, & nos ſumus os ex oſsibus eius & caro ex ipſius carne.

Reprehendis denique Gallicam veterem noui teſtamenti verſionem in hac Geneuenſi Eccleſia excuſam, quæ pro *Hoc eſt*, habet *C'eſt-cy*, id eſt, vt tibi quidem placet, *Hic eſt* ſiue *in hoc loco eſt*. Reſpondeo ne noſtrum quidē vernaculum idioma abs te intelligi. Nam vt hęc eſſet ſententia,

dictum oportuit, *Icy eſt mon corps* omiſſo pronomine demonſtrante, *Ce*, cui ſi particulam *Ci*, id eſt, *Hic* ſiue ſtatim vt *Ceci eſt*, ſiue interiecto verbo ſubſtantiuo ſubieceris vt *C'eſt-ci*, idem declarat atque Græcè τὸ ἐνταῦθα vel Græcè vno verbo τοῦτοϊ, Latinè *Hoc eſt*, & id quod eſt penes loquentem demonſtrat: ſin verò particulam *là* ſimiliter adiunxeris, vt *c'eſt là*, vel *cela eſt*, tunc idē valet atque τὸ ἐκεῖ & vno verbo ἐκεῖνοϊ, Latinè *illud eſt*, & id quod penes illum eſt quem vel de quo loquimur oſtendit. Et tamen vt omnis hac de re quærēdi occaſio ſemel præcideremus vertimus poſtea & edidimus *Ceci eſt*

Superſunt tres criminationes ſiue abs te ſiue ab aliis ex quibus iſta deſcripſiſti (Deus bone qua tandem audacia?) excogitatæ

Vna eſt, *quòd veſtris ſcilicet argumentis*, (nugamentis rectius dixiſſes) *oppreſſi dicamus, Hunc panem eſſe ſymbolum qualitatis alicuius & virtutis à Chriſti corpore defluentis, quæ in Cœna per fidem extra panem recipiatur*, Quaſi verò centies millies non ſit à noſtris omnibus ac ſingulis inculcatum, quum ex vna Chriſti carne petenda ſint nobis quæcunque ad ſalutem & vitam æternam requirantur, ipſimet Chriſto prius oportere nos ſpiritualiter ac per fidem vniri, ac ipſius membra fieri quàm eius ſpiritu viuificemur: ac proinde ſigna hæc non eſſe duntaxat ipſius energiæ, ſed in primis ipſiuſmet corporis ac ſanguinis Domini fide participandi ſymbola. Sed vobis nimirum abeſſe & imaginaria eſſe videntur iſta, niſi ſubſtantiā rei ſignatæ ſignorum ſubſtantiam reipſa contingat, aut potius niſi ſignorū ſubſtantia euaneſcat

neſcat,aut in ſubſtantiã rei ſignatæ conuertatur: vobis,inquam, videtur omnis tolli vera Chriſti corporis ac ſanguinis κοινωνία ſiue μέθεξις (nam vtroque vtitur Paulus) niſi realis contactus & Cyclopica transfuſio & commixtio ſubſtantiæ Chriſti cum noſtro ipſorũ corpore ſtatuatur. Sed an quia tam vecordes eſtis,ideo hæretici ſumus?

Altera calumnia hæc eſt. *Hoc eſt corpus meum ſine diuinitate & ſanguine.* Vis enim hoc neceſſariò ſequi,ac proinde Neſtorianos eſſe nos, quoniam neque communionẽ ſub altera tantùm ſpecie,neque adorationem in Sacramento admittamus. Quaſi verò etiãſi nuſquam ſeparatũ eſt corpus à ſanguine,ideo nos oporteat alterã mandati Chriſti partem vt ſuperuacaneã tollere, qui nos diſtincte corpus ipſius in panis Sacramento, vt æternæ vitæ cibum, & eiuſdẽ ſanguinẽ vt æternæ vitæ potũ ſumere,& quod fecit hoc facere diſertis verbis, & vna eadémq; actione præcepit. Sed pulchrè ſcilicet vobis iſtiuſmodi captiuncula cauiſtis,quoniam poſita transſubſtantiatione realíque in terris præſentia, quum ſeparatæ ſint reipſa ſpecies panis & vini, ſeparari quoque corpus à ſanguine oporteat,niſi concomitantiam iſtam, non quidem Chriſti perſonæ, ſed tamen inſtitutioni Cœnæ Domini repugnantem poneretis. Sed vobis euenit profectò quod ait Flaccus,

*Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt.*

Duo enim præcipitia vos hîc circunſtant,nempe quòd nec corporis appellatione ſanguis in priore inſtitutionis parte, neque poculi voce corpus in altera intelligi ſine tropoSynedoches,poterit, Vos autem omnem tropum vt ſcopulũ refugitis:

deinde quòd si hoc valeat, certè tublato poculi vsu, nullæ prorsus species supererunt, nec vllum signum quod sanguini substernatur.

Tertiam criminationē Melanchthoni impingis, quod nihil interfit siue corpus sit sine nō sit, nec esse de eo digladiandū Os impudēs. Q i propter infirmos, nec dū in doctrina Ecclesię institutos, imò in erroribus cōfirmatos, optat tix atores vtrinq; abesse, cōtētiosos remoueri, portētosas illas quorundā cōmentationes cōuersionis, transsubstantiationis, vbiquitatis eruditæ vetustati ignotas semel tolli, contentiones vtrinque prohibendas, formā loquendi vnam quampiam, cuiusmodi illa Paulina est comuni consensu retineri, copiosè de Cœnæ fructu dici, tolerandos (videlicet ad tempus) & patientia lucrifaciendos in aduersa sententia, qui distractiones non faciunt in populo, (hæc enim suut illius verba) an ille inutiliter quæri de re Sacramentorum putarit? Sed voluisti nimirum qua fide & cōscientia primam hanc repetitionem tuam exorsus es, cādem etiam illam terminare. At ego Deum precor vt te tuíque similes aut adveritatis studium conuertat, aut iusto suo iudicio compescat. Et de his quidem hactenus.